







11

VERA  
ANTIQUORUM PHILOSOPHORUM  
SAPIENTIA,  
ORATIONE QUADAM CIRCULARI  
(ut vocant)

*Ipsis Idibus Martii,*


A. O. R. cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> c LXXIII.

ATHENIS NORICIS

demonstrata

à

CHRISTOPHORO THEOPHILO SAUERO;  
Norimb.



ALTDORFFI

Typis HENRICI MEYERI, Univ. Typogr.

m.

VERA  
ANTIGORIUM PHILOSOPHORUM  
SAPIENTIA,  
ORATIONE QUADAM CIRCULARI

(in vocant)

A. O. R. de la L. XIII.

ATHENSIS MORICIS

CHRISTOPHO TROPHILO SAUERO.

Typis Henrici Meyeri, Lith. Typogr.

PROGRAMMA.  
CHRISTOPHORUS MOLITOR,

P. P.

L. S.

**Q**uod oculus in corpore est, illud mentem quidem in animo esse, omni caret dubitatione. Nam ut hoc videntur, que colore gaudent & luce perfunduntur: Sic mente apprehenditur DEUS, apprehenduntur Mentis illæ ab omni contagione materiae separate, apprehenduntur mundi & eorum, que illius ambitu continentur, cause, progressus, primordia: que quamvis multis magnisque obscuritatibus involuta, & in intimis rerum omnium parentis naturæ recessibus abdita & reclusa; menti tamen, illa persequi volenti, patent, nisi immersa tenacissimo corporearum cupiditatum cæno impediatur, aut nisi eam avocet varium & multiforme monstrum quovis Proteo & Vertumno mutabilis, Opinio, que per omne genus rerum indomita & effrenata licentia temerè ruens, omnium veras notitias confundit, falsasque iis imagines inducit, permiscendo atque permutando prima ultimis, imis summa & extrema. Quod dum facit, veram Sapientiam amittit, suosque sensus pro Sapientia vendit fallaces illos incertos & instabiles, quibus nimium sibi fidentes in gravissimos & perniciosissimos ducit errores. Notha autem ista mentis filia, quam Veteres occupavit Philosophos, & lenocinio suo ad amorem meretricium traduxerit, non ita pridem dixit, qui stultam Sapientum Antiquorum sapientiam in theatrum produxit, & ante oculos nobis posuit, quam fallacia sint & erroribus plena prorsus, inter se diversa & acutissimorum decreta, que de DEO hujus Univerſi opifisce, de hoc mundo rerumque elementis, ipsis rebus ortis & procreantis constituerunt: Certè quidem ita involuti & implicati, ut mentem in ipsa mente, animum in animo perdidierint, neque, cum res alias penitus cognosse laborant, quid ipsi sint, noverint. Ecquid enim de humano animo Philosophi? Loquar Romani Oratoris Superiori

reriori seculo clari verbis: Alius eum cor ipsum esse dicit, alius cerebrum, alius cordi suffusum sanguinem, alius spiritum innatantem sanguini, alius harmoniam quandam, alius eum ex numeris confici, alius ex atomis, ut mihi quidem ista consideranti certam aliquod insaniam suscepisse videantur. Ita ex hoc tam confuso, tam vario, tam multiplici teterrimarum opinionum veluti cinno, nihil ferè colligere possumus, nisi semper copiosissimam messem hominum variè insanientium fuisse. Et quæ alia sunt, quæ longius proferre, & quod ex Dicaearcho, de Pherecrate addit, de Epicuri, animam perire statuentis, de Stoicorum, longam ei tribuentium vitam, de Pythagore, migrationem de corpore in corpus affirmantis, de Platonis & Aristotelis obscuris & in neutram inclinantibus partem sententiis affert, hæc: inquam, longius proferre nec angustia pagina hujus, nec propositi nostri ratio ferre queunt. Quicquid tandem sit, inexplicabilibus opinionum laqueis, omnium Philosophorum etiam optime sentientium mens illigata manet cælestis verbi cynosura destituta. Qui cras in medium prodibit Præstantissimus atque Doctissimus DN. CHRISTOPHORUS THEOPHILUS SAUER, Reverendi Theologi, Patroni mei honorandi, haud degener filius, Philosophiæ solidæ Studiosus & Candidatus, qua se ad altioress. Theol. doctrinam præparat, de vera Veterum & solida peroraturus Sapientia aliter equidem sentit, eosque & optime & verissime de DEO, hocque Universo & singulis in hoc comprehensis sensisse docebit, quam fortibus atque firmis argumentis, Vestrum esto iudicium

Magnifice DN. RECTOR,  
 Illustrissime DN. COMES,  
 Excellentissimi DN. PROFESSORES,  
 Nobilissimi Doctissimi DN. STUDIOSI,

Quorum omnium & præsentiam honorificam & frequentiam gratissimam expetimus & optamus, eoque nomine submissè observanter atque humaniter invitamus, si nulla re alia, sola se certe quidem brevitate commendabit orator, nosque sumus compensaturi pro virili hoc Vestrum gratificandi studium. Valet.

MAGNI



MAGNIFICE DN. RECTOR,  
ILLUSTRISIME DN. COMES,  
EXCELLENTISSIMI OMNIUM ORDINUM  
DNN. PROFESSORES,

DNN. Patroni, & studiorum meorum Pro-  
motores, omni honoris & observantia cultu  
mibi prosequendi,

UT ET

NOBILISS. CLARISS. AC DOCTISSIMI  
DNN. STUDIOSI,

Fautores atq; Amici honoratissimi,  
carissimi.

**M**irum forsan alicui Vestrūm, AUDI-  
TORES SPLENDIDISSIMI, videri queat,  
quī ego in arte dicendi parū versatus atque  
exercitatus, verba nunc facere de Eorum Sa-  
pientia in animum induxerim, Qui jam uni-  
vertum penè eruditionis orbem scriptorum suorum gloriā  
impleverunt, Quorumque celeberrima jamdudum nomina,  
super æthera nota, atque æternitatis tabulis inscripta sunt,  
ut, qui Illorum gloriæ suo aliquid studio superaddere velit,  
non immeritò inanem in se fuscipere operam dicendus sit.  
At enim verò, quantumvis tantorum Virorum, quibus jure  
meritoque doctior orbis eruditionis palmam deferre solet,  
laudi atque existimationi nihil accedere mea qualicumque

commendatione posse probè intelligam; etsi præclara illorum atque egregia ingenii monumenta, quæ publica apud nos hodiè in luce collocata in omnium ferè Eruditorum manibus versantur, vel me tacente ad laudem & gloriam ipsorum sufficere, haud ignorem; licet eorum quoque, quibus majorem, quam mihi, dicendi copiam ac facultatem natura concessit, eloquentiam plus valere ad summam Illorum Sapientiam celebrandam, quam balbutientis linguæ meæ infantiam, ultrò largiar; quia tamen in magnis atque arduis rebus nostra voluntas respicitur, quando facultate destituimur, neque ego temerè, sed officii ratione adductus, hanc in me dicendi provinciam suscepi, neminem facilè hoc meum institutum reprehensurum spero. Imò verò quum ANTIQUORUM PHILOSOPHORUM ope atque industria pleraque tam acutè olim inventa, tam aptè excogitata, tamque accuratè exposita etiamnum in illorum libris ac monumentis fulgeant ac niteant, suoque lucidissimo splendore animi nostri oculos mirificè irradiant atque illustrent, cumque insuper Illorum beneficio Sapientiæ studium in tantum excreverit, ut vix majora capere posse incrementa videatur; absit omninò, ut debitæ tantorum Virorum laudes, iis præsertim in locis, quæ Musarum domicilia sunt, & ab illis, qui se veræ ac reconditæ Philosophiæ cultores atque alumnos profitentur, fileantur, *quorum nos potius imagines cum ROMANORUM SAPIENTISSIMO, habere incitamenta animi fas est; quorumque sapientissima inventa adire tanquam multorum hereditatem juvat;* (a) Quorum deniq; immortalia nomina non frequenti tantum recordatione venerari, sed & crebra oratione deprædicare omninò decet. Quod dum ego, Philosophiæ studio initiatus, nunc facere pro ingenii mei modulo in amplissimo hoc & splendidissimo Vestro, AUDITORES OMNIUM ORDINUM SPECTATISSIMI,

con-

(a) Seneca *Epist.* L. XII.

confessu atque conspectu, aggredior, eâ quâ par est modestia & observantiâ benevolentiam Vestram imploro, & ut hunc voluntatis meæ conatum benè consulatis, facultatis verò defectum humanitatis Vestræ subsidio suppleatis, obnixè rogo.

Ut autem meas in dicendo partes rectius & commodius exequar, in id ante omnia, in quo præcipuè SAPIENTIS officium consistat, & in quo maximè virtus Ejus eluceat, inquirendum existimo; quo in negotio, si vel omnia eorum, quorum, ut P O È T A canit: (b) *De meliore luto finxit præcordia Titan*, quique in universo hominum cœtu, velut (c) *inter ignes Luna minores*, emicant atque excellunt, suffragia colligere velimus, nemo fortassis nos rectius erudire, quàm qui à multis ipse seculis Sapientiæ palmam & principatum obtinuit, ARISTOTELES poterit; qui non eum, qui aliquam fortè rerum quotidie in vita humana obviarum, & cujusvis sensui atque intellectui expositarum cognitionem habet; sed qui rerum difficillimarum & à sensibus nostris remotissimarum scientia aliis præstat, Viri sapientis munus implere sapientissimè judicat. (d) Id ipsum verò quàm benè quondam ac feliciter modò laudatus Ille Peripateticorum Princeps cum aliis suæ Gentis Philosophis præstiterit, apud quos cultiori ornatu, (e) quàm apud Ipsorum Antecessores & Magistros, Chal-

(b) *Juvenalis Sat. XIV. (c) Horatius Lib. I. Od. 12.*

(d) *Lib. I. Mer. 2. pertinet hoc illud Ciceronis: Hanc perfectam Philosophiam semper judicavi, quæ de maximis questionibus copiosè posset, ornateq; dicere. Lib. I. Tusc. quæst. §. 7. Edit. Goshofr.*

(e) *Palmam reliquis nationibus in excolendo Philosophiæ studio Græcos olim præripuisse, elegans eorum, facilis, & magis quam cæterarum gentium perperua Philosophandi ratio ac methodus evincit. Ipsum verò initium suum Philosophiam ab iis habere, uti, nescio quo erga Græcos amore ac studio duabus, Diogenes Laërtius, in Proœmio suorum de Philosophorum vitis Librorum p. 2. & 4. contendit, Veritati maximè repugnat. Cui Ciceronem ad stipulari baud quaquam credendum est, quando Lib. II. de Fin. bon. & mal. §. 68. à Græcis Philosophiam & omnes ingenuas Artes nos habere ait; & I. Acad. Quæst. §. 8. Meos Amicos, inquit, in quibus est studium, in Græciana mitto, id est, ad Græcos ire jubeo, ut ea à fontibus potius hauriant quàm*

quàm rivulos confectentur. Quippe qui non de prima Philosophia origine, sed feliciore ejus apud Græcos, quàm alios, progressu in his locis agit, eamq; majori perfectionis gradu ac splendore, velut reliquas Artes, ab Iis ad posteros propagatam esse ostendere conatur, id quod ex S. 4. allegati Lib. I. Quæst. Acad. patet, ubi Philosophiam literis græcis non prima vice propositam, sed diligentissimè explicatam esse dicit, quin & in Consolatione suis (si quis dem Autor illius libri est,) Græciam omnium literarum non inventricem, sed Cultodem & Altricem appellat p. 636, Lit. E. Vid. Georg. Hornius Hist. Phil. Lib. III. c. 1.

Chaldæos, Ægyptios, Persas, Medos, Parthos, Indos, Phœnices, Phryges, Æthiopes & Thraces, (f) sæcundissima illa Artium Mater, ac singulare DEI donum atque inventum Philosophia (g) se conspiciendam præbuit, & ad summum ferè suæ perfectionis fastigium pervenit: Quamq; egregiè deinceps Horum vestigia, qui inter Romanos olim Sapientiæ laude inclaruerunt, secuti fuerint, agendum jam pluribus abs me percipite.

Ac principio quidem cogitate quæso, AUDITORES HONORATISSIMI, quàm sapienter atque egregiè de DEO TER OPTIMO TER MAXIMO, omnis Sapientiæ origine ac fonte, à Quo, quicquid in hac rerum Universitate contemplatur, quicquid in eadem admiratur, suum principium habet, illi senserint: Quàm scitè ac peritè de primi, summi ac perfectissimi Entis (h) quo inter alia nomine sapientissimum hujus Mundi Architectum appellare solebant, cognitione, natura ac proprietatibus judicaverint, nunc paulo accuratius mecum perpendite. Quidnè enim mihi fas sit hoc in negotio ab Eo dicendi initium facere, à Quo rerum omnium agendarum principia ducenda esse Ii, Quorum Sapientiam jam

(f) De quibus consulatur G. I. Vossius de Philos. Sectis. c. 1. 2. 3. & Hornius Hist. Phil. Lib. II. hinc adde Clementem Alexandr. Lib. I. Stromat. Theodoretum serm. I. de Fide. Et Aug. Eug. Steuchum de perenni Philosophia L. II. c. 2.

(g) Quibus eam elogium non immeritò Cicero cum Platone ornat l. Tusci quæst. S. 64. l. Acad. Quæst. §. 7.

(h) XII. Met. t. 43. Cicero Orat. in Vatinius §. 14. Omnium rerum magnarum à Diis immortalibus principia ducuntur, & Lib. II. de Legibus §. 7. A Diis immortalibus sunt nobis agendi capienda primordia. Vid. Guil. Mechovius Lib. I. Philos. Paramet. c. 1.

jam vobis ostendere conabor, piè non minus quàm sapienter crediderunt? De Hoc autè numquid meliùs excogitare, quid rectiùs statuere, quid veriùs dicere, HOMINES SAPIENTISSIMI, potuissent, quàm ut divinam Ejus Existentiã (liceat mihi hic voce in Philosophorum schola recepta uti) omnibus in universum hominibus manifestissimã esse, uno ore unanimeque ferè consensu omnes affirmarent, idque rationum atque argumentorum ex ipso veritatis fonte haustorum robore probarent & confirmarent. Quorum alterum (si potiora tantùm respicere velimus) (i) à naturali hominum judicio & communi eorundem consensu desumptum est; alterum pulcherrimæ atque artificiosissimæ hujus mundi machinæ, ejusdemque corporum contemplatio nobis suppeditat. (k) Utrumque verò Ille Philosophorum Princeps ac Magister PLATO his paucis quidem, at non inelegantibus complexus est verbis: *Terra, sol, sidera, ipsumq; Universum, temporum quoq; ornatissima varietas, annis mensibusq; distincta, Deos esse ostendunt: Græcorum præterea barbarorumq; omnium consensus esse fatentium.* (l) Quam Præceptoris sui sententiã post-

B  
mo-

- (i) Cleanthes apud Ciceronem, quatuor de causis formatas in animi hominum, dixit, Deorum esse notiones. Primam posuit eam, quæ orta esset ex præsentione rerum futurarum: Alteram, quam cepimus ex magnitudine commodorum, quæ percipiuntur cœli temperatione, fecunditate terrarum, aliarumque commoditatum complurium copia. Tertiam, quæ terret animos fulminibus, tempestatibus, nimbis, nivibus, grandinibus, vastitate, pestilentia, terræ motibus &c. Quartam esse, eamque vel maximam, æqualitatem motus, conversionem cœli, solis, lunæ, siderumque omnium distinctionem, varietatem, pulchritudinem, ordinem *Lib. II. de N.D. §. 13. 14. 15. & Lib. III. §. 16.* Cum Cleanthe numero quidem hac in re convenit, Serbii tamen simul ac re discrepat Sextus Empiricus: Cui primus Existentiã dîvinã probandi modus est: Consensus omnium hominum. Alter, ordo ac distributio mundi. Tertius, absurda, quæ consequuntur eos, qui DEUM tollunt. Quartus, ablatio rationum, quæ obijciuntur *Lib. VIII. adversus Mathematicos.*
- (k) *E qua duplici Deum cognoscendi ratione, duplex illa Philosopharum, cognitio nis Dei, in insitã & acquisitã, distinctio nata est.*
- (l) *Lib. X. de Legibus.*

modum Ipsiſus haud degener atque ignobilis diſcipulus ARISTOTELIS (m) calculo ſuo approbaturus, omnes homines habere de Diis exiſtimattonem, Deumq; , licet inconſpicibilis natura omnini interitura ſit , nihilo ſecius tamen cerni ab operibus ait. (n) Horum præterea veſtigiiſ inſiſtens Philoſophorum Ille non minùs quàm Oratorum ſui temporis Princeps CICERO: Intelligi neceſſe eſt eſſe Deos, inquit, quoniam inſitas Eorum vel potiùs innatas cognitiones habemus; ac rurfus: Omnibus innatum eſt, & in animo quaſi inſculptum, eſſe Deos. Et iterum: Quid poteſt eſſe tam apertum, tamq; perſpicuum, ſi cælum ſuſpeximus cæleſtiãq; contemplatiſumus, quam eſſe aliquod Numen præſtantiffima mentis, quo hæc regantur? Itemque: Eſſe præſtantem aliquam æternãq; naturã & eam ſuſpiciendam admirandãq; hominum generi, pulchritudo mundi, ordoq; rerum cæleſtium cogit

con-

(m) Lib. I. de cælo r. 12.

(n) Lib. de Mundo c. 6. Quem equidem genuinum Ariſtoreliſ factum eſſe, quidam negant, nonnulli dubitant, alii affirmant. Negant: Deſid. Eraſmus Lib. XXII. Epift. 14. P. Victorius Lib. XXV. Var. c. 13. Qui Nic. Damafcenum in illius locum ſubſtituit. M. Ant. Muretus Lib. II. Var. Leſt. c. 8. G. I. Voſſius de Philoſophorum ſectis c. 17. §. 13. Dan. Heiſius in adjuncta orationibus ſuis de hæc re diſſertatione. Dubitant: Lud. Cæl. Rhodiginus Lib. XXV. Antiq. Leſt. c. 20. Lud. Vives in notis ad Auguſtini de Civ. Dei Lib. IV. c. 2. & in ſuo de diſciplinis Lib. IV. &c. Affirmant: Juſtinus Martyr ac Philoſophus in parva. ad Græcos. Apulejus Lib. de Mundo Themiltius à Lud. Vide ad dictum Auguſtini librum & Joh. Picus in citato de diſciplinis Libro, allegari. Aug. Eug. Steuchus loco cit. Lib. IV. c. 4. & Huius Compiler ( ut à D. Mich. Walthero. in Harm. Biblica p. 61. appellatur ) Ph. Mornæus c. 3. Franciſcus Patritius, rigidus aliàs ac ſapè injurius Ariſtorelicorum Librorum Cenſor, tom. I. diſcuſſ. peripat. Lib. VI. Olaus Wormius, & qui ipſum allegat Henr. Jul. Scheurl in Bibliogr. ſua Morali §. 53. Joh. Fernlius de Abdiſtis rerum cauſis. Lib. I. c. 10. Juſtus Lipſius de Conſtantia Lib. I. c. 13. &c. 18. Joh. Langius in Comment. ad Ariſtoreliſ libellum de Mundi Fabrica. p. 196. ubi & Arſenius Monembafia Epifcopus, qui principum Philoſophorum gnaca Apophthegmata collegit, hanc in rem citatur.

Quomodo Ariſtoteles porro Lib. VII. & VIII. Phyſ. à conſideratione motus ad primam Motorem deveniens & II. Met. c. 2. Cauſarum in infinitum progreſſum negant, DE I exiſtentiã probaverit, eruditè demonſtrant Dn. D. Joh. Meiſnerus in Theol. nat. diſp. 1. & Pl. Reſ. Dn. M. Andr. Unglenkius, Fautor meus bonoratiſſimus, in duabus de infinito cauſarum progreſſu ante hæc Jena habiſtis diſputatiõibus. Add. qua de Eo referret Cic. II. de N. D. §. 95.

confiteri, alta quasi & elata voce exclamat; (o) ut quam plurima alia, hujus generis in aureis Illius scriptis occurrentia pulcherrima effata, brevitatis causa nunc omittam.

Succenturiatam quasi his suis Antecessoribus operam præstiturus clarum illud inter Romanos sapientiæ Lumen, SENECA, verbis sequentibus suam hæc de re mentem declarat: *Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri; tanquam Deos esse sic colligimus, quod omnibus de Deo opinio insita est, nec ulla gens usquam est adeò extra Leges moresq. projecta, ut non aliquos DEOS credat.* (p) Cui haud dissimilia paucioribus quidem, sed his admodum significantibus verbis, celebris ille Academicorum Philosophorum quondam Sacerdos, JAMBlichus, profert, *cohæret nostræ ipsi substantia de Diis innata cognitio*, inquitens. (q) Et quis omnia veterum Philosophorum apertissima hanc in rem verba ac testimonia, è quibus Sapientia illorum luce clariius meridiana conspicitur, enarraret! (r)

Objiciat autem mihi fortè hic aliquis ac dicat; minùs rectè ac sapienter à commemoratis hæctenus Philosophis divini Numinis Existentiam communi omnium hominum judicio & consensu fuisse probatam; cùm barbarorum illorum, qui vitam brutorù more transigunt, exemplis satis constet, nulla DEI cognitione eos esse imbutos; (s) adhæc inter ipsas cultiores

B 2

gen-

(o) I. De Nat. Deorum §. 44. & II. §. 4. 12. II. de Divinat. §. 148. Confer cum his etiam dicti Lib. I. §. 43. & II. §. 44. III. §. 2. itemq. Lib. I. Tusc. Quæst. §. 70. & Orat. de Harusp. resp. §. 19.

(p) Epist. CXVII.

(q) De Mysteriis Agyptiorum, segm. I. c. 3. ex edit. Rom. Nic. Scutellii.

(r) Vid. præter adductos Chrysippus ap. Cic. II. de N. D. §. 16. & Plut. Lib. I. de plac. Phil. c. 6. & L. de Iside & Osiride, ubi eos, qui abjectè nimis ac ineptè de Diis loquuntur honorem & fidem omnibus propemodum hominibus ab ipso ortu ingeneratam extirpare atque dissipare affirmat. p. 159. T. II. ed. Francof.

(s) Autor Annotatorum ad Thomæ Browne Religionem Medici (quem Levi-um Nicolaum Molkium, Dn. D. Wagnerus in Annotat. ad Inquisitionem in Oracula Sibyllarum de Christo p. 23. vocat) ex Bernh. Varentii Lib. de diversis Gentium Religionibus, ellè adhuc integras nationes, quæ ex innata feritate,

tate, nullum esse Numen credunt p. 123. referre, ac nominatim quidem Africanos ex epistola quadam Mandelslovis tanta impietatis arguit; his tamen deinceps p. 26. sequentia subiungit: si satis Illarum gentium mores, quã nullos Deos admittunt, perspectos & cognitos haberemus, forsã longè aliud, quàm quod nunc de Illis traditur, experiremur. *Quidni verò aliud de his fuisset experti? Innotuerunt abhinc centum annis populi multi, priscais seculis incogniti, inquit, Illultris Mornæus, & quotidie emergunt novi. In his inveniuntur, qui sine Rege, sine lege vivunt, qui sub dio degunt, qui nudi ferarum instar sylvas oberrant, avia quærunt, & obvia depascuntur. Qui Religionis specie, qui sacris, qui Numinis sensu planè carerent, nulli inventi sunt, nulli etiamnum inveniuntur. c. 1. p. 14. Et Dn. D. Meisnerus, Gentium Americanarum scriptores, Benzoniem, Lerium, Mercatorem, Josephum à Coita & reliquos expressè scribere, l. c. ait. eos, multos quidem Deos, in iis tamen unum aliquem summum adorare, quem Peruviani Viracocha, item Pachacamar, & Pachaiachacic, Mexicani Hoizoli Pochtli vocant.*

gentes quondã nonnulli reperti fuerint, qui vel de Diis utrum sint, an non sint, dubitarunt; quod de Protagora inter alios TULLIUS testatur; vel eorú existentiam prorsus negarunt; quales fuisse Diagoram Melium, & Theodorum Cyrenaicum, eodem teste, liquet, (†) quibus alii adhuc alios addere solent. At ego illum, qui talia obmurmurat, si CICERONIS hac de re longè aliter iudicantis, ac dicentis: *nullam gentem esse, neq; tam immanis suetam, neq; tam feram, quæ non etiam si ignoret, qualem habere*

(†) L. de N. D. §. 2. 29. 63. 117. Protagoram, de Diis quidem statuere nequeo, neque an sint, nec ne, dixisse, Laërtius quoq; in Eius Vita meminit. Qui etiam de Theodoro, Eum omnem de Diis opinionem sustulisse, in Aristippo perhibet. De Diagora Melio verò Raph. Volaterranus in Anthropolog. sua Lib. XV. ubi ipsum Melesium vocat, ex Suida refert, illum Atheon esse vocatum, quod nullos putaret esse Deos mysteriaque ad eò contemneret, ut etiam sectantes averteret, quare ab Atheniensibus pulsus sit, qui talentum polliciti sint, interficientibus eum. Plutarchus Lib. 1. de placit. Philosoph. c. 7. his etiam Evemerum Tegeatam, (quem in Lib. de Is. §. Os. cum Strabone, Aliano & Lactantio Messenium appellat, Clemens verò Alexandrinus Agri- gentinum, & Athenaus, Cœm nuncupant, teste Xylandro in Comment. ad op. illius Tom. II. p. 26.) annumerat, nec non Euripidem Tragicum in horum censum referre videtur. Alianus Lib. II. Var. Hist. c. 31. in insuper Diogenem Phrygem, Hipponem, Sotiam, & Epicurum addit: Cujus tamen ad Me- saneanum Epistola, quæ in illius Vita ap. Laërtium extat, & Ciceronis in Lib. I. de N. D. §. 43. de eo loquentia verba contrarium potius testantur. Hæ quoque à Sexto Empirico l. c. Prodicum Cœm & Critias Atheniensis; à Mar- tiali Silius Lib. IV. Epigr. 21. Apud Irenæum Lib. II. adversus hæreses c. 19. Anaxagoras, ap. Clementem Alexandr. in Protreptico, Nicanor Cyrium accensentur.



bere Deum deceat, tamen habendū sciāt, (u) autoritatem admittere nolit; antiquissimi Ecclesiæ Doctores JUSTINI, omnes Deum esse communi fatentur intelligentia docentis; aut JOH. DAMASCENI, cunctis, quod Deus sit, naturā insitum esse atq; ingenitum, (x) affirmantis, verissimæ sententiæ assentiri jubeo; sin minus, magnum illum Veritatis Præconem, & Gentium in fide Magistrum, D. Apostolum PAULUM, aut ipsius potius SPIRITUS S. certissimam ac sanctissimam hac de re vocem audire; Deum cognitionem suam Ethnicis non tantum per creationem mundi, & rerum visibilium adspectum, patefecisse, sed & cordibus illorum inscripsisse, haud obscure significantis, (y) que ipsum profectò, de innata omnibus & singulis hominibus Dei notitia, haud amplius dubitare sinet. (z)

Quod ad illorum exempla, qui Divini Numinis existentiam in dubium vocasse, aut profus ignorasse, vulgò dicuntur, attinet, quid causæ sit, cur hoc de iis credamus, equidem haud video; præsertim cum ex ipsissimis eorum verbis, aliorumq; doctissimorum Virorum testimoniis, rem planè aliter se habere, satis superque constet. Quid enim, num Protagoram, qui ob summam ingenii ac doctrinæ suæ præstantiam Sapientia dictus fuit, (aa) Quemq; sublimis ille Philosophorum apex Plato tanti æstimavit, ut suo illi inclyto, de Sapientiæ Professorum moribus libro, ipsius nomen inscriberet, (bb)

(u) I. de Legib. §. 24. addes I. Tusc. Quest. §. 30. (x) In resp. ad Quest. I. Græc. I. de Orthod. fide. c. 1. Quo pertinet lectu dignissima Arnobii Verba Lib. I. advers. Gentes p. 18. Edit. Lugd. Bat. (y) I. Rom. I, 19, 20. & II, 15.

(z) Vocant hanc innatam DEI cognitionem (de qua videsis præter D. Mart. Chemnitium & Joh. Gerhardum in LL. Theolog. pluribus Dn. D. Balthaf. Meisnerum Philos. sobr. part. I. sect. 4. cap. 9. & Joh. Meisnerum loc. cit. Dn. D. Joh. Adami Osandri hac de re Dissp. & Excell. Dn. Dürrii, Fauroris ac Præceptoris mei de Generandi, annotat. msc. ad Libb. Norimb. Normales cap. XI. Aph. 8.) alii ἄνωγὰς ἐννοίεζ, sive communes notions, nonnulli δὲ χάρις Φυσικῆς principia natura nota, quidam ἀεθλήσεις, seu anticipationes, vel, ut doctissimus Hierop. Wolfius in Annot. ad I. Tusc. Quest. has voces interpretatur, sententias antè ullam doctrinam externam mentibus insitas. Vid. Cæl. Lud. Rhodiginus Lib. XXII. c. 1.

(aa) Laërtius in illius Vita.

(nuncupatur.

(bb) A. Gellius Lib. V. Noct. Att. c. 3. à quo Vir in studiis doctrinarum egregius

tantæ absurditatis arguamus, ut quod omnes uno ore Philosophi affirmarunt, (cc) ambiguum & incertum esse statueret? Num Diagoram eò stultitiæ prolapsus esse nobis persuadeamus, ut quod omnes sana mente præditi, concedunt, (dd) temerè negare sit ausus? Quem tamen Poëma suum his verbis inchoasse, *quod à Numine summo reguntur omnia*, (ee) perspectum habemus. An Theodorum tam impium atque absurdum fuisse existimabimus, ut quod omnes sine discrimine docti & indocti, admittebant, & in quo *Græcus cum Barbaro, Mediterraneus cum Insulano, sapiens cum stulto, consentiebant*, (ff) ille, qui cum antea Atheus diceretur, postea Dei cognomen apud suos promeruit, (gg) improbare? Minimè verò. Quin potius hos omnes non tam Divini alicujus Numinis existentiam negasse, aut dubiam fecisse, quàm ab ingenti illa ac infinita ferè Deorum multitudine, qui ab ipsorum popularibus superstitiosè colebantur, (hh) abhorruisse,

(cc) Plutarchus in *Amatorio*: Philosophi omnes hoc uno dicunt ore esse Deos. Cicero: Philosopho nihil minùs conveniens esse, quam Deos tollere. *Lib. III de N. D. §. 43.*

(dd) Cicero: Esse Deum tam perspicuum est, ut is qui neget, vix cum sanæ mentis existimem. *II. de N. D. §. 44.*

(ee) Mornæus *loc. cit.*

(ff) Maximus Tyrius *Dissert. I.* Plato: Faciunt aut dicunt impium quid, qui Deos esse negant. *Lib. X. de Leg.* Cicero: Esse Deum, constare inter doctos & indoctos, & non indoctè solum, verum etiam impiè facere, qui Deos esse neget. *I. de N. D. §. 44.* Quin & *Elianus loco autè citato de Barbaris testatur, quod nemo eorum ad contentum Deorum unquam exciderit, neque in dubium vocaverit, sicut ne Dii an non sint?*

(gg) teste Laërtio in *Aristippo*.

(hh) *Magnum Deorum numerum coluisse Gentiles, ex illo Prudentii Lib. I. contra Sym. apparet: Quicquid humus, pelagus, cælum mirabile gignit, Id dixere Deos, colles, freta, flumina, flammæ.*

*Et Hesiodus triginta Deorum millia in terra esse ap. Eusebium Lib. V. de Præp. Evang. statuit. Quos ille cum Clem. Alex. in Protrept. ad sex genera reducit. Quam etiam Deorum multitudinem Cicero sicuti quascoloribus depictam representat. II. de N. D. §. 60. & III. §. 39. seqq. Cui addi possunt. Augustinus Lib. IV. c. 8. & seqq. Seldenus in Prolegom. Synt. agm. de Diis Syriæ c. 3. & qui ipsum additamentis auxit. M. Andr. Beyerus c. 5. & seqq. Cæl. Lud. Rhodiginus Lib. XXII. c. 3. & B. Dilherrus Tom. I. Dissp. p. 245. & II. 372. ubi de his pluribus agit.*

ruisse, & vana illa ac falsa, quæ vulgus, *qui ex veritate pauca, ex opinione multa iudicat*, (ii) exosculabatur ac venerabatur, mysteria (kk) irrifisse & contemfisse, certò persuasum habeamus. Ac fanè immensa illa Deorum multitudo, quos vulgus Gentilium colebat, nò rifi tantum, sed & omni abominatio-  
ne digna erat. Ecquid enim detestabilius, quam homines, eosque non tantum virtute præditos (ll) ac bene meritos, sed pessimos quoque ac flagitiosissimos, (mm) ut Deos venerari? Quid homine rationis usu pollente indignius, quam ipsa etiam bruta animantia, sidera, ligna & lapides (nn) adorare? Quid absurdius, quam animi vitia & corporis morbos, (oo) ac nescio, quæ alia, auditu horrenda, dictu turpia, & visu fœda ac vetita, (pp) in Deorum numero collocare? Hæc autem  
crant

(ii) Cic. in Orat. pro Q. Roscio. §. 29.

(kk) *Qualia cum indignatione recenset Plinius Lib. II. c. 7. Nat. Hist. dicens: Matrimonia quidem inter Deos credi, tantoque ævo ex his neminem nasci, & alios esse grandævos, semperque canos, alios juvenes atque pueros, atricolores, aligeros, claudos, ovo editos, & alternis diebus viventes morientesque, puerilium propè deliramentorum est. Sed super omnem impudentiam, adultertia inter ipsos fingi, mox jurgia & odia, atque etiam futurorum esse & scelerū numina. Prolixius hac prosequitur Clem. Alex. in Protr. sed & in Libris Arnobii adversus Gentes, omnes ferè paginas hæc res implet.*

(ll) *De quibus Plin. l. c. Hic est vetustissimus referendibenè merentibus gratiã mos, ut tales Numinibus adscribantur. Hic gemina habet Lactant. I. I. de Fals. Rel. c. 8. Quæ in Deorum numerum receptio doto Jæwari Vulgo Vocari consuevit.*

(mm) *Quales fuerunt, ille tot adulterii, incestibus, rapinis, aliisque vitii & flagitii contaminatus Jupiter, hominum Pater atque Deorum Vulgo dictus; ille tot sceleribus inquinatus Hercules; Vid. Clem. Alex. in Protr. Arnobius Lib. IV. adversus Gentes. Et Lactant. Lib. cit. c. 9. & seqq. Hic adde nobilissima illa scorta, Lupam, Faunam, Floram, quæ à Romanis colebantur. Lactantius Lib. cit. c. 20.*

(nn) *Vid. Cicero Lib. III. de N. D. §. 39. & seqq. Arnobius Lib. I. ac Seldenus, & M. Andr. Beyerus ll. cc.*

(oo) *Pavorem, enim, Pallorem, Febrim, Scabiem, Tempestatem, Impudentiam, & Calumniam, &c. à Romana plebe vice Numinum culta fuisse Ph. Caroli Lib. I. Antiq. c. 1. & Ch. A. Rupertus in Diss. II. ad Val. Max. Lib. II. c. 5. restantur.*

(pp) *Nam ipsos etiam malignos Demones eos pro Diis habuisse, constat ex Eusebio Lib. V. de preparat. Evang. c. 3. itemque Cloaciam, Volupiam, à Voluptate, & Libentiam, à Libidine, dictam, teste Augustino Lib. IV. de C. D. c. 8. nec non Malam Fortunam, Bellonam, Lavernam, Discordiam, Furias, &c. & (ss)*

erant illa sacra, hi Dii paganorum, quos vulgus, *cujus opinionones in ignoratione veritatis versantur*, (gg) suspiciebat, & quorum causa Sapientiores, qui eos spernebant, Athei vocati, (rr) & vel exilio, (ff) vel mortis pœna digni immeritò judicati (tt) sunt. Perstat igitur, manet que firmissima ac verissima illa, quam antè laudati Philosophi de Dei cognitione pro-

tule-

(*sit auribus honos*) crepitum ventrù, atque obscœnum illud ac deformem monstrum Priapum coluisse, Philipp. Caroli animadvers. in Lib. V. Agellii c. 12. & Seld. l. c. acceptatur.

(gg) Cicero de N. D. §. 43.

(rr) Solebat superstitiosa Gentilium turba omnes, qui eorum Deos rejiciebant, Atheos nominare, quemadmodum & Christianos quondam hoc nomine ab ipsis fuisse appellatos constat. Vid. L. Matth. Zimmermann. in dissert. Hist. Theol. ad illud Tertulliani: *Fiunt non nascuntur Christiani*. §. 99. & Dn. Theoph. Spizelius in scrutinio Atheismi p. 4. Hinc Vossius perquam scitè atque appositè, cum de Protagora, Diagora & Theodoro l. c. egisset, subdit: Præterea ne illud quidem satis est apertum, an omnes illi Numen esse negarint. Nam rationi magis consentaneum est, Atheos vocatos à nokris quidem, quia sic apud Gentiles legissent; à Gentilibus verò, quia Deos Gentium pro Diis non haberent. Cui Juitus Lipsius quoque, de his loquens, prorsus ad stipulatur: Deos planè & plenè negasse haud arbitrator, inquit, sed illos, quos tunc colebant, hoc opinor, & idèò ἀθεῶν cognomine affectos. Cent. II. Ep. ad Belg. 26.

Quam equidem doctissimorum Virorum opinionem fundamento suo neutiquam destitui, id quod ex Epiphanio Dn. D. Meinerus l. c. de Theodoro adfert, satis probat; illum scilicet nugas esse, quæ de Diis suis Ethnici fabulantur, asseruisse. Quorsum & illud spectat, quod de Diagora Clem. Alex. l. c. & ex illo Moræus narrat, eum, cum aliquid domi cogendum esset, Hercules statuam è ligno formatam, in ignem injecisse ac dixisse, Age, ò Hercules, jam tempus est, ut sicut Eurytheo, nobis quoque in hoc tertio decimo decertando certamine inservias. Adde quod Illustris in ejus Vita hanc in rem profert. Quin & de Anaxagora Laërtius in illius Vita refert, eum propterea impietatis à Cleone fuisse accusatum, quod Solem, (quem alii pro Deo habebant) ἡλιόρον ἀστέρων candentem ac penitus ignitam laminam dixisset; & Lucianus in Timone, Jovem fulminasse in caput Anaxagoræ, quia familiares docuisset, non esse Deos, qui vulgò putarentur. Vid. Vossius de seculis Philosophorum c. 5.

(ff) Exemplo Diagoræ de quo supra lit. t. & Protagoræ de quo vid. Laërtius Lib. de Ira Dei c. 9. ac Stilponis ap. Laërtium in ejus Vita.

(tt) Ira Socrates, quod à Melito fuisse accusatus tanquam communes ac patrios Deos negaret, & loco illorum nova dæmonia introduceret, cicentem bibere coactus fuit, velut ex ipsius ap. Platonem apologia, ejusq. Phædone, & Laërtio in illius Vita patet.

tulerunt, sententia; quin imò si vel maximè hos aut alios Divinam existentiam quondam negasse, aut dubiam reddidisse, concederemus, neque tamen exinde quicquam Illorum Autoritati decederet, cum veritatem non ab unius alteriusq; sinistrè ac perversè de re aliqua sentientis opinione pendere, sed plurimorum, eorundemque doctiorum ac sapientiorum, testimoniis inniti, extra omnem dubitationis aleam positum sit. (uu)

Sed hæc de divina, Illius, per Quem omnia existunt, *Existentia*, in medium protulisse sufficiat. Convertamus nos proinde nunc porro ad perfectissimæ Ejus *Natura* atque *Essentia* contemplationem, & quam clarissimè exinde quoque VETERUM PHILOSOPHORUM Sapientiæ splendor eluceat, dispiciamus. Ecquis verò hîc summam Illorum Sapientiam non satis agnoscat, cum eos tam modestè, tam consideratè, tam perspectè de summo Numine, quoad hanc rem, loqui ac sentire audit? Ut mirandum prorsus sit, homines à fide nostrâ alienissimos, & divinitus revelatæ veritatis lumine planè destitutos, tam pias pariter ac sapientes voces emittere potuisse. Audite, qui in hujus rei veritatem pervenire cupitis, egregium STAGIRITÆ effatum, quo intellectum nostrum, ad ea, quæ manifestissima omnium sunt, quemadmodum vesperilionum oculos se habere, (xx) significat; & judicate, utrum intellectus nostri,

C in

(uu) Sic quippe Steuchus de hoc negotio: Certum est testimonium Sapientum esse pro tota natione, ut quod meliores doctioresque testentur, id sit placitum ac sensus totius gentis. Et Vossius l.c. sed an hosce paucillos (qui Deum negasse dicuntur) tanti putemus, ut aliquo eos loco habeamus, præ infinita illorum copia, qui contrarium docuerunt? præsertim cum quanto quisque Vir melior fuit, tanto minus de eo (quod Deus sit) dubitaret. Ut & Lipsius: Sed esto etiam, duo tresve illi (Deum esse) negaverint insani homines aut monstra: idè erroris universum genus hominum damnemus, & quidem in re summa? Non facimus. Huc referet illud Aristotelis: Oportet considerare naturam non in corruptis sed in his quæ magis se habent secundum naturam. I. Pol. c. 5.

(xx) II. Met. I. Quem secutus Jul. Cæs. Scaliger: Ad rerum sempiternarum in-

intellektionem mentis nostræ directa acies tam imbecilla est; quam ad Solem intuentium Nyctioracis oculus. *Exercit. I. de Subtil. Sect. 1. scribit. Cum quibus ferè conuenit & illud Ambrosii: Quid autem mirum est, DEUM ab homine, neque visu, neque intellectu comprehendî posse, cum ne Solem quidem hunc aspectabilem sine noxa præsentanea rectis possimus oculis intueri. Vid. immortale hujus Uniuersitatis Decus Contr. Rittershusius sacr. Lect. Lib. I. c. 15.*

in comprehendenda infinitâ DEI essentiâ, infirmitatem re-ctius ac melius indicare potuisset? Audite, qui præter hunc forsitan aliorum quoque sententiam expectatis, quæ ipsius THEODORETI, at quanti Viri! testimonio, (yy) piè, prudenter ac sapientissimè de hac ipsa re, PLATO effatus est, quando *Opâficem ac Patrem Uniuersi inuenire difficile, & inuentum in vulgus efferre impossibile esse*, pronuntiavit. (zz) Animum advertite, quicumque estis, quorum animos hæc res afficit, ad ea, quæ apud SENECAM leguntur: *Deum nemo nouit: itemque, Quid sit hoc, sine quo nihil est, scire non possumus, (Aaa) dicentem. Considerate porrò, qui adhuc plenius & planius hoc cognoscere auetis, illud quod de SIMONIDE CICERO non tantum notauit, sed ad se Ipsum quoque accommodauit; Illum uidelicet ab Hierone, Tyranno, quid, aut qualis nam DEUS esset? interrogatum, deliberandi causa sibi unum diem postulâsse, cumq; idem ex eo postridie fuisset quæsitum, biduum petiisse, numerumque dierum sæpius deinceps multiplicâsse; tandem verò Tyranno, cur hoc faceret, percontanti; quia quanto diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior*, respondisse. (bbb) O piissimam

(yy) *Serm. II. ad Gracos insid.*

(zz) *In Timæo. Vid. Dn. Dilherrus alleg. Tom. II. Dissp. p. 370. Quò spectat & illud Iustini: Nemini omnium, quatenus homo fuerit, concessum est, ut pertingere ad primam illam ac beatam Naturam ac Essentiam queat. --- Nihil enim hominibus de rebus diuinis liquidò constat, sicut ex Græcorum Sapientibus quidam dixit, quod, sanè quidem, dictum, ut veritatem ipsam accipio.*

(Aaa) *Epist. XXXI, Lib. VII. Nat. Quæst. c. 31. Edit. Lips. Confer cum hiæ etiam verba cap. præced.*

(bbb) *I. de N. D. §. 60. Huc quoq; refer quod de Xenophane apud Clem. Alex. in Protr. legitur. Illudq; Ciceronis; Deum cogitatione complexi non possumus. I. Tusc. Quæst. §. 51.*

mam tantorum Virorum Sapientiam, ô sapientissimam Pietatem!

Etsi verò Essentiæ divinæ contemplationem, esse rem valdè operosam ac difficilem; quin imò, ob intellectus nostri imbecillitatem, DEUM, à nemine prorsus mortalium exactè cognosci atque intelligi posse, Illi, quorum verba jam adduxi, Philosophi, verissimè non minùs, quàm sapientissimè judicârint: Neque tamen propterea eos planè otiosos, aut alienos, ab Ipsius consideratione, animos habuisse; quin potius omnes Sapientiæ suæ nervos, omne studium, atque operam suam, in id maximè contulisse, ut quo usque humanæ mentis cogitatione, in assequenda perfectissimæ Illius Naturæ notitia, pervenire liceret, pertingerent; ex iis, quæ jam porrò abs me dicentur, luculenter apparebit.

Prodeant hinc ergò rursus illi, quorum verissimam, de cognoscendi divinam Majestatem difficultate, sententiam jam modò percepimus, & quousque in Illius indagazione nihilo minùs progressi fuerint, nobis ostendant.

Sistat se nunc iterum Academicorum Parens, PLATO, quem crebra sua, ac diligens, excellentissimæ Divini Numinis Naturæ investigatio eò perduxit, ut DEUM, bonorum omnium Autorem & Causam existere, (ccc) Cunctarum rerum principium, media ac finem continere, (ddd) imò, non tam unum, bonum, pulchrum, quàm Ipsum Unum, Ipsum Bonum, Ipsum Pulchrum esse, (eee) diceret ac doceret. Succedat huic, Peripateticorum Caput, ARISTOTELES, qui, cum ante in indaganda primæ, æternæ, atque immobilis substantiæ natura fuisset occupatus; tandem sermonem suum pulchro hoc epiphonemate, dicimus itaq; DEUM sempiternum optimumq; vivens, (fff) ceu gemmâ quadam obsignat. Et alibi: DEUM, quoad

C 2

vini

(ccc) In Epinomide. (ddd) Lib. IV. de Legibus.

(eee) Vid. Mich. Piccartus insignis quondam hujus Lycæi Philosophus in Orat. de Theol. Plat. & Arist. Philosoph. Altdorff. addita.

(fff) XII. Met. t. 39.

vim suam, valentissimum, quoad decorem, formosissimum, quoad vitam, immortalem, quoad virtutem, præstantissimum, (ggg) vocat. Ut de JAMBlichO, qui DEUM esse omnia, posse omnia, ac se ipso implere omnia (bbb) ex sedulâ præstantissimæ Illius Naturæ perfrutacione didicit, de CICERONE, (iii) PLUTARCHO, (kkk) SIMPLICIO, (lll) aliisque taceam.

Quàm præclarè autem, ut hætenus audivistis, Prisci Philosophi, de Ipsa DEI Essentia sunt locuti; tam egregiè præterea de Ipsius quoque proprietatibus sunt philosophati. Vultis enim, ut præter consuetum aliàs Gentilium morem, Unum tantum DEUM eos credidisse, & coluisse, nunc ostendam? En vobis PYTHAGORAM, vetustissimum illum Italicæ sectæ Conditorem, de Uno DEO tam pulchrè loquentem: *Sanè quidem Deus unus est: non ille autem, quomodo nonnulli sunt suspicati, extra hunc mundi ornatum: sed ipse in se totus, in circulo toto generationes omnes inspiciens, seculorum omnium est temperatio, & virtutum operumq; ejus omnium opifex, principium omnium, unum cæli lumen, & parens omnium, mens & animatio universorum, circulo omnium motio.* (mmm) Sed & adeò venustè canentem:

*Si quis erit, qui se pro Numine poscat haberi,  
Ultrâ unum, is debet mundum fabricare parem istè,  
Dicereq; hic meus est. Neq; solum ita dicere oportet,  
Sed regere hunc etiam vegetanti numine. Quod quum  
Præstiterit, tunc demum ipse Autor habebitur Orbis.* (nnn)

En

(ggg) L. de Mundo c. 6. (bbb) Lib. cit. segm. III. c. 29.

(iii) Qui Deum, mentem solutam ac liberam, segregatam ab omni concretionem mortali, omnia moventem, ipsamque præditam motu sempiterno, in Consol. p. 129. appellat.

(kkk) A. quo Is. eisdem Mens separata, & ab omni materiæ admixtionè sincera, nullisque perfectionibus obnoxia, dicitur.

(lll) Qui Deum principium rerum, causam mente comprehendendam, primam atque principem esse ait, in Comment. ad Epict. Ench. c. 38.

(mmm) Apud Justinum in Paran. ad Gracos.

(nnn) Velut ipsius Gracos versus apud Eundem in Lib. I. de Monarch. DE locurrentes, transtulit C. Rittersbus. Vid. de hoc quoq; Lactant. de I. D. c. II.



EN SOCRATEM! Qui etsi ab ipso Apollinis Oraculo, omnium mortalium sapientissimus esset iudicatus; (ooo) tamen quod Unum tantum DEUM statueret, nec plures cum vulgo admittere vellet, ab Atheniensium Magistratu veneno sibi mortem accelerare coactus est. (ppp) EN PLATONEM, DEUM, ut ante percepistis, non tam Unum, quam ipsam Unitatem vocantem! Et: *Unum principium rerum est, ipsum absq. origine, affirmantem.* (qqq) Ecquid verò, annon etiam ARISTOTELEM, horum antiquæ Sapientiæ Triumvirorum sententiæ additum fuisse credamus? Num isthæc Illius verba, quibus, *Unum tum ratione, tum numero primum movens esse,* ait, (rrr) hoc non satis clarè ac perspicuè indicant? Num verò etiam Is aliud quidpiam, per Unum illud Primum, quod *substantiis, ut unum sit, causam esse,* (sss) dicit, quam ipsum DEUM significare voluit? Minimè. Quin Ipse potius alibi dilucidè his verbis DEI unitatem adstruit: *Unus DEUS cum sit, pluribus nominibus appellatus est, ab iis utiq. suis omnibus affectibus denominatus, quorum specimen edere Ipse solet.* (ttt) Quid præterea Ille Stoicorum Pater ZENO? Nonne DEUM tam necessario unum esse, ut nisi unus esset, neq. DEUS quidem esse posset, affirmavit? (uuu) Ne quid de horum Successoribus ac Discipulis, PHILOLAO, (xxx) ANTISTHENE, (yyy) XENOPHANE, (zzz) MAXIMO TYRIO, (Aaaa) THEOPHRASTO, (bbbb) MACROBIO, (cccc) SE-

C 3

NECA,

(ooo) Cicero I. A. Q. §. 16. Item in Lelio §. 7. § 13. § in Consol. p. 276. Plinius Lib. VII. H. N. c. 31. 34.

(ppp) Vid. supra lit. Tt.

(qqq) Vid. supra lit. Eee. Et in Timæo, add. Laët. de I. D. c. cit. & Plut. de plac. Philos. c. 7.

(rrr) XII. Met. c. VIII. r. 49. Vid. Fonseca in Comm. ad hunc locum.

(sss) X. Met. c. I. r. 1.

(ttt) Lib. de Mundo. c. 7. Jungatur r. 48. & 49. Lib. VIII. Phys. ubi, necesse est, esse aliquid unum & perpetuum primum movens, ait, & Lib. XII. Met. c. ult. in quo, postquam entia nolle malè gubernari, dixisset, non est bonum multorum imperium, unus sit Dominus, statim subiungit.

(uuu) Vid. Steuchus loc. cit. c. 5. ab inis. (xxx) De quo Vid. Idem Lib. III. c. 3.

(yyy) Polyd. Virgilius de Rer. Invent. Lib. I. c. 1. (zzz) Aristoteles Met. c. V. (Aaaa) In Dissert. I. (bbbb) Moræus Lib. cit. c. 3. (cccc) Pol. Virg. loc. cit.

NECA, (ddd) aliisque innumeris, emunctioris naris ac limatioris iudicii, Ethnicis dicam, qui omnes multitudinem illorum, quos fæx populi colebat, detestantes, Unitatem veri ac summi DEI, qui est Conditor & Gubernator hujus Universi, submissè venerati sunt. (eeee) Si quis tamen fortè est, cui hæc res propterea non usque adeò certa videtur, quod licet, laudati Viri, verbis jam modo propositis, Unum tantum DEUM se cognoscere fateantur, alibi tamen plurimum mentionem faciant, ac variis DEUM nominibus appellent; adhæc aliis quoque rebus Ejus nomen attribuant: Sciat is: Eos, quotiescunque ita loquuntur, consuetudinem vulgi imitari, cum eo tamen minimè sentire, multisque illis, quæ de Eo usurpant, nominibus, diversa, quæ unus idemque DEUS in rebus creatis exercet opera, ac varia Ejus quasi officia indicare voluisse. (ffff)

Vul-

(ddd) Seneca IV. de Benef. c. 7. & II. Nat. Quæst. c. 15.

(eeee) De quâ equidem communi Antiquorum Philosophorum sententiâ, prolixius Steuchus Lib. cit. capp. 6. prioribus agit, eamq; sic et vetustissimæ Philosophiæ Sacramentum nominat, quam & Prudentius in sua  $\Sigma\tau\omicron\upsilon\theta\epsilon\omega\sigma$  elegantissimè versibus describit. Addatur Mornæus Lib. cit. c. 3.

(ffff) Non enim insolens antiquis fuit Uni Deo diversa & nomina & officia assignare, ut Hornius Lib. I. H. P. c. 5. scribit: Et quidem secundum Varro- nem, referente Augullino, Doctores Gentilium, etsi Deos Deosq; plures nominabant, omnes tamen in uno Jove comprehensos voluerunt. Lib. IV. de C. D. c. 9. & VII. c. 23. Et Apulejus Lib. de Mundo: Cum sit unus DEUS pluribus nominibus cietur propter speciem multitudinis, inquit, quarum diversitate fit multiformis. Quin & Lactantius, postquam variorum de Uno DEO verba attulisset, sic tandem concludit: Qui licet diversis nominibus sint abusi, ad unam tamen potestatem, quæ mundum reget, concurrerunt Lib. de I. D. cit. Pertinent hæc quoq; Senecæ verba lit. dddd. allegata & qua Laërtius de Zenoniis in Vita Zenonis refert, nec non illa Steucht: Errante multitudine, Deosq; commentitios colente Sapientes aliud sensisse, Sanitate vulgaribus concessa, Veritatem sibi reservasse Lib. III. c. 3. dicentiâ. De Platone Verò hic speciatim scire ac notare refert, quod de Eo Mars. Ficinus in argumento ad ejus Cratylum scribit: Neque verò nos turbet, quod plures sæpe nomet Deos; unicum enim per se ipsum in Parmenide & Timæo probat Deum: Cæteros vero angelicos coelestesque DEI ministros, cum DEOS nominat, non tam Deos, quàm Divinos intelligit; & in arg. ad Lib. VII. de Legibus: Etsi in plurali sæpe, ait, Deos colendos esse, concludit tamen

men numero singulari. Sed nec illo defensore Is eger, cum Ipse causam suam satis in Epistola XIII. ad Dionys. his verbis agat. Notam autem Epitola- rum scribens, quas aut serio, aut non serio scribo, etsi opinor Te meminisse, tamen attendito diligenter, animumque advertito. Seriae igitur epitola: in- itium est DEUS, non seriae DII. E quo loco caecus sit oportet, qui Platonem unum Deum agnovisse non vides! Adde ramentum, ex abundantia Vis, etiam qua Iustinus in Paran. ad Grac. & Theodoretus serm. II. ad Grac. insid. qui hanc rem pluribus persequuntur, habent, & Lud. Vivis in Dianot. ad August. de C. D. Lib. V. c. 1. de Eo testimonium: Ut & Mornæum c. 3. p. 41.

Vultis præterea, ut Ejus Simpliciter verbis Illorum jam quoque exprimam: Ecce Vobis PLATONEM, à quo DEUS, simplex & verax in dictis & factis, vocatur. (ggg) Ipsiusque Interpretem FICINUM, Qui: Cupis & DEL pulchritudinem cerne- re, quaerit? ac statim: Auferas multiplicem illam formarum com- positionem, simplicem prorsus relinque formam, confestim DEL spe- ciem fueris consecutus, respondet. (bbbb) En ARISTOTELEM; si ali- cujus natura simplex sit, Ei semper eadem actio erit jucundissima, atq; idcirco DEUS semper una ac simplici gaudet voluptate, as- ferentem. (iii) En SIMPLICIUM; Primum, qua voce DEUM intelligit, simplicissimum esse necesse est, asseverantem! (kkkk) Ecquid aliud, quam Ejus simplicitatem, vocabulum Mentis innuit, quo Ipsum sæpissimè in Illorum scriptis indicari ne- mini non constat. (lll)

Ex-

(ggg) II. de Republ. (bbbb) In Comment. ad Illius Consilium de Amore c. 17.  
 (iii) VII. Eth. c. 15. Conf. II. de Cælo r. 36. XII. Met. c. 7.  
 (kkkk) In Comment. ad c. 1. Epist.  
 (lll) Plut. Lib. I. de Pl. Philos. c. 6. Si simplicem, simul & immaterialem atque incorporeum Deum esse Eos credidisse necesse est, id quod de Platone Cic. I. de N. D. §. 30. expressè testatur. Nec obstat, Eum mundum & calum & astra & terram &c. Deum esse, ut ibidem quoq; indicatur, dixisse, que nemo sanè materia experta esse judicabit. Etenim Is, (vel sui causa, quod nimirum tristitia Præceptoris sui fata, sibi perpetuo ob oculos versantia, me- suerit, vel Reip. commodo; quod plurium Deorum formidine magis in of- ficio contineri, rudem ac inconditam plebem posse, sibi persuaderet) trinas, ut ait Apulejus, Deorum species itatuit, quarum prima est, unus & solus il- le, summus ultramundanus, incorporeus; orbis hujus Pater & Architectus. Aliud genus est, quale astra habent, cæteraque numina, quos cælicos voca- mus: Tertium habent, quos Medioximos Romani veteres appellant: Quod & sui ratione & loco & potestate Diis summis sint minores, hominum natu- ra perfectio majores. Ex quo, de Summo hujus Orbis Patre ac Architecto,

ENIM

eum loqui, quando DEUM incorporeum vocat, satū patefit: Sed & Aristoteles, Deum immaterialem atq; incorporeum esse, clarè innuit. II. de Cælo t. 36. & VIII. Phys. c. 10. Ubi primum Motorem carere partibus, & magnitudinis expertem esse, contendit. Nec est, quod quis forè Deum ab ipso V. Top. c. 1. animal vocari obvertat, cum vocabulum ζῷον, quod in Græco textu occurrit, de Deo, & Damonibus sive Angelis usurpatum, non aliquid ex corpore & anima constans, sed rem solum videntem denotare, ex doctissimorum Virorum observatione manifestum sit. Quo equidem sensu Plato ap. Justinum in Dial. cum Tryph. Jud. & Speusippus ap. Francisc. Patrit. Tom. II. discuss. Peripat. cap. 8. & Zenonit in Vita Zenonis ap. Lærtium: DEUM, nec non D. Gregorius in Homil. XX. in Evang. Angelum animal nuncuparunt. Vid. Cæl. Lud. Rhodig. Lib. XXII. c. 2. & H. J. Scheurl in Epit. Theol. Nat. p. 41.

Expectatis insuper, ut DEUM omnis prorsus mutationis expertem esse, ex Illorum sententia demonstrè? Ita nobis Eum SOCRATES depingit; cū, quoties ipse animus per se ipsum excogitat, se confert, ad purum, sempiternum, immortale, semper eodem modo se habens, ait: Et quando: Animam ipsi divīno, immortalī, intelligibili, uniformi, indissolubili, semper eodem modo, & secundum eadem seipsum habenti simillimam esse, inquit. (mmmm) Eundem nobis PLATO considerandum proponit, dum, impossibile est DEUM mutare se velle perhibet; Eiusdemq; discipuli, Qui, teste celeberrimo Hipponensium Episcopo, viderunt, quicquid mutabile est, non esse summum DEUM, & idè omnem animam, mutabilesq; omnes spiritus transcederunt, quærentes summum DEUM. (nnnn) Sic Ipsum ARISTOTELES describit, dum primum movens, nulli prorsus mutationi obnoxium esse, affirmat. (oooo) Nec diversum ab his sensisse SENECAM, ex verbis Eius sequentibus constat: Non externa cogunt Deos, sed sua illis in legem æternam voluntas est; statuerunt, quæ non mutarent: itaq; non possunt videri facturi aliquid, quamvis nolint: Quia quicquid desinere non possunt, perseverare noluerunt, nec unquam primi consilii Deos pœnitet, ut & illis: sapientis Viri sapientiam negatis, posse mutari, quantò magis DEI? (pppp)

Defi-

(mmmm) Plato in Phadone. (nnnn) Idem Lib. II. de Rep. ubi hanc rem fusè pertractat. Et Augutt. L. VIII. de C. D. c. 6.

(oooo) II. de Cælo. t. 36. (pppp) Lib. VI. de Benef. cap. 23. & II. N. Q. c. 36.

Defideratis, ut *Aeternum* Eos quoque statuisse *DEUM* vobis significem? Ecce primò Vobis hoc indicet, Qui, obegregiam, quam post Reipublicæ curam, in contemplanda rerum natura navavit operam, omnium primus Sapientis nomine fuit cohonestatus, *THALES* Ille, à patria Milefius dictus, *DEUM* omnium rerum antiquissimum esse, principioꝝ, ac sine carere, disertis verbis significans. (qqqq) Quem *PARMENIDES*, qui à *Platone* Magnus dici meruit, (rrrr) excipiat, suam de æterno Deo sententiam his verbis proponens:

*Est is & ingenitus, nec in illum mors cadit unquam,  
Unigena est, totusq; & semper firmus, & ortus  
Expers (fff) -- -- --*

Sequatur ipse *PLATO*, cujus hæc de æterno Numine verba leguntur: *Erat & erit, qua natà temporis species sunt, non rectè æterna substantiæ assignamus; dicimus enim de illa: Est, erat, & erit. Sed illi revera solùm esse competit. Fuisse verò & fore, deinceps ad generationem tempore procedentem referre debemus. Motus enim quidam duo illa sunt. Æterna autem substantia, cum eadem semper & immobilis perseveret, neq; senior sit unquam, neq; junior, neq; fuit hætenus, neq; erit imposterum, neq; recipit eorum quidquam, quibus res corporea, mobilesq; ex ipsa generationis conditione subjiuntur. (tttt) Succedant ipsi haud incelebres *EJUS* Sectatores *MAXIMUS TYRIUS*, & *APULIUS*: Quorum Ille æternum Deum, his verbis prædicat: *Deus, omnium, qui extant Pater, Conditorq; sole antiquior, antiquior Cælo, omni tempore major, omni ævo, & quicquid in natura mutatur. (uuuu) Hic verò divinam æternitatem sic admiratur: DEUS sempiternus, DEUS æternus, nec nasci potest, nec potuit, hoc est, hoc fuit, hoc erit semper. (xxxx) Jungat se his quoque ARISTOTELES, &**

D suum

(qqqq) Laert. in ejus Vita. Plut. in Concl. sept. Sap. Clem. Alex. Lib. V. Stromat.  
(rrrr) In Protagora. (fff) Sicut ipsius Græca verba. Clem. Alex. l.c. exprimit.  
(tttt) In Timæo. De quo & Plut. Lib. VIII. Sympof. quæst. I. Quod, Deum non natum, & æternum nominaverit Patrem, refert.  
(uuuu) Dissert. 38. (xxxx) In Asclep.

suum illud: *DEI operationem, immortalitatem; hanc verò vitam sempiternam esse, nobis è profundissimo sapientiæ suæ thesauro suppeditet.* (yyyy) Nec non CICERO, cujus suada hanc rem præterea sequentibus verbis confirmat: *Quæ nobis natura informationem Deorum ipsorum dedit, eadem insculpsit in mentibus, ut eos æternos & beatos haberemus.* (zzzz) Agmen tandem claudat PLUTARCHUS, à quo DEUS interitus expers atq. æternus suapte natura, dicitur; & qui, interitui obnoxium & natum nemoserè cogitavit, insuper asserit. (I.)

Scire præter hæc forsitan & illud cupitis, utrum, Deum omnia posse, ab his creditum sit? Id verò, vix quenquam Illorum negasse, aut in dubium vocasse, affirmare haud vereor, præter PLINIUM & PLUTARCHUM, quos equidem in re adeò manifesta, tam turpiter se dedisse, & in tam gravem errorem lapsos fuisse, miror; Quorum ille: *Imperfecta verò in homine natura præcipua solatia, ne Deum quidem posse omnia, asserere non dubitat: Nam neq. sibi potest mortem consciscere, si velit, quod homini dedit optimum, in tantis vitæ pænis; nec mortales æternitate donare, aut revocare defunctos; nec facere, ut qui vixit, non vixerit, qui honores gessit, non gesserit, nullumq. habere in præterita jus, præterquam oblivionis; atq. (ut faceretis quoq. argumentis societas hæc cum DEO copuletur) ut bis dena, viginti non sint, ac multa similiter efficere non posse, per quæ declaratur haud dubiè natura potentia, idq. esse quod DEUM vocamus.* (2.) Hic verò: *Non potest omnia DEUS facere, fatis audaçter effutit,*

aut

(yyy) II. de Cælo. s. 17. Add. VIII. phys. s. 36. & 86. XII. Met. c. 7. s. 36. 39. 41. Ref. hæc etiam illa loca, ubi Deum immortalem & incorruptibilem vocat, ut: Lib. P. Top. I. de Cælo. s. 22. & II. s. 36. (zzzz) I. de N. D. §. 45.

(1.) Lib. de EI ap. Delphos; ubi hæc pulcherrima extans: Deus autem, si ita dicendum sit, est, & est nulla ratione temporis, sed æternitatis immobilis, tempore & inclinatione carentis, in qua nihil prius est, nihil posterius, nihil futurum, nihil præteritum, nihil antiquius, nihil recentius; Sed una cum sit, unico Nunc, sempiternam implet durationem, & hujus ratione, quod esse dicitur, verè est, non futurum, non præteritum, neque orsum, neque desitutum! Idem is etiam de DEO affirmat in Lib. de Stoic. repugn. & Lib. I. de Philof. sect. c. 7. (2.) Lib. I. Nat. Hist. cap. 7.

aut faciat, sicut Deus, nivem nigram, ignem frigidum, rectum eum, qui sedet, vel contra. (3.) Rectius verò his longèq; melius sapit ARISTOTELES, qui, licet aliquid horum à DEO fieri haud posse, ipse credat, & concedat, (4.) Ejus tamen potentiam nihilo minùs infinitam esse, verissimè judicat. (5.) Rectius longèq; melius & illi hac de re censebant, qui, teste CICERONE, Nihil esse, quod Deus efficere non possit, quondam dixerunt: (6.) id quod & SENECA haud diffitetur, dum, Deum majorem potentiorumque cunctis esse, prædicat (7.)

Quem verò omnia posse plerique Antiquorum Philosophorum crediderunt, quidni etiam omnibus in locis esse presentem Eosdem in super statuisse arbitremur. THALES profectò, si hoc ignorasset, non omnia Diis plena dixisset! (8.) HERACLITUS in casa furnaria sedens, nisi hoc scivisset, non ita confidenter his verbis alios ad se vocasset; (9.) ingredimini, ne huic quidem loco Diis defunt immortales. Nec EMPEDOCLES DEUM sphaeram, cujus centrum ubiq; circumferentia nunquam est, vocasset. (10.) Quid? quod PLATO Thaletis sententiam quasi confirmaturus, præclare & sufficienter dictum, Deorum plena esse omnia, ait, adeò ut Superi neq; obliviscantur nostrarum rerù, neq; nos deserant. (11.) Qui & ap. Apulejum: Non usq; adeò sejunctos & alienatos à nobis Deos, inquit, prædico, ut ne vota quidem nostra ad illos pervenire arbitrer. (12.) Sed & JAMBlichus his elegantissimis verbis

D 2

hanc

- (3.) Lib. I. de Plac. Phil. c. eod. Quae partim mendacia, partim talia sunt, quae sub objectu omnipotentia divina minimè cadunt. Vid. Stahl. in Disc. ad T. III. Met.
- (4.) V. Nicom. c. 13. (5.) XII. Met. c. 7. & Lib. de Mundo c. 6.
- (6.) II. de Divinat. §. 86. Qui & II. de N. D. Sustinendi muneris propter imbecillitatem difficultas, minimè cadit in majestatem Deorum, perbibet.
- (7.) Epist. 58. & 31. Ille maximus potentissimusq; ipse vehit omnia, de DEO scribit.
- (8.) Apud Aristotelem Lib. I. de Anima s. 86. Cic. II. de Leg. §. 26.
- (9.) Arist. de parv. Animal. c. 5.
- (10.) Apud Anonymum in Visu Philosophorum & Poëtarum 1479. Norib. impressum. Deum quidem ut sphaera adeò comparare videtur, quia globosa figura, tanquam sola omnibus sui similis præstantissima est. Plut. Lib. VI. de Plac. Philos. Quomodo verò id, quod ubiq; & samen nusquam sit, intelligendum, Piccartus in alleg. orat. explicat.
- (11.) In Epinomide. (12.) De DEO Secretis.

hanc rem porro declarat. *Quid prohibet, inquit, Deos passim per omnia ingredi, & quid deinde ipsorum detinet vim, ne sint in cælesti etiam axe? Fortioris enim opus hoc esset cause, concludentis & coercentis ipsos, & circumscribentis ipsos in quibusdam partibus. Scilicet quod revera, incorporeumq; est, suapte natura ubicunq; voluerit, ibi est. Et iterum: Nec usquequaq; veri habet faciem, ut non nisi olympo, nec alibi, habeant domicilium numina, cum Deorum sint plena omnia. (13.)* Quin nec auditu indigna esse iudico illa SENECÆ verba: *Deus ubiq; & omnibus presens est; quocunq; te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi. Nihil ab illo vacat: opus suum ipse implet. (14.)* Pulchra profectò tantisque Viris dignissima verba! Quibus tamen non possum, quin illud egregium PLUTARCHI, de divina præsentia testimonium adhuc subijciam: *Qui verò Deorum imperium, inquit is, tanquam tyrannidem metuunt tetricam & inexorabilem, quò concedat? quò fugiat? quam terram Dei expertem, quod mare inveniat? Inquam mundi partem penetrabis, ubiq; te abscondens, effugisse te Deum putabis, miser. (15.)*

Sed nec omnium rerum scientiam DEO Eos abjudicasse, argutum illud THALETIS responsum arguit, qui ab aliquo, an facta hominum DEOS fallerent? quæsitus: *Ne cogitata quidem*, respondit. (16.) Cui illud quoque CICERONIS accedit: *Nihil DEOS ignorare, quod omnia sint ab iis constituta, neque non posse futura pernoscere. Et rursus: Nec enim ignorare Deus potest, quâ mente quisq; sit. (17.)* Cum quo & istud PLUTARCHI; *Deus non ignorat cuiusq; indolem ac naturam, asserentis, (18.)* ex asse convenit; illudq; SENECÆ; *Nihil*  
Deo

(13.) *Lib. cit. segm. I. c. 8. §. 9. (14.) Epist. 95. & IV. de Benefic. c. 8.*

(15.) *De Superst. Forè & Pythagoras huc respexeris, cum Deum, animum per universas mundi partes, omnemque naturam commeantem atque diffusum &c. vocaveris. Laër. Lib. I. de Fals. Rel. c. 5. Et illi, de quibus Cicero I. Acad. Quæst. §. 28. 29. loquitur. De Aristotele, utrum DEUM ubiq; præsentem esse statueris, dubium ferè atq; incertum esse videtur. Vid. Paul. Slevog. us disp. sb. XV. & Cellarius in Epitom. Theol. Nat. p. 60. (16.) Val. Max. Lib. VII. c. 2. (17.) De Divina, §. 105. & 125. (18.) De his qui serio, &c.*



Deo clausum est : Interest animis nostris, ☿ cogitationibus mediis intervenit, verissimè non minùs quàm gravissimè, ut solet, scribentis. (19.)

Et ob hanc quidem tam præstantem & singularem qua Deus omnia semper ☿ simul novit, (20.) scientiam, PLATO, DEO non tantùm Sapientia laudem insuper attribuit; DEUS, inquit, qui Divinam sortem possidet à doloribus voluntatibusq. liber, sapientia cognitioneq. penitus fruitur : (21.) Sed & Sapientis cognomen soli DEO convenire, affirmat : Videtur, (22.) ait, revera solus DEUS sapiens esse, ☿ humanam sapientiam parvi, imò nihili pendendam esse. (23.)

Verùm nunc aliquid etiam de Bonitate DEI dicendum videtur; ubi equidem haud vulgari admiratione dignum esse censeo, homines, sub tam magnis ac variis superstitionibus natos atque educatos, ad eam tamen veritatis lucem pertinere potuisse, ut DEUM non solùm bonum, omniumq. bonorum Autorem agnoscerent; (24.) sed & omnis mali ac turpitudinis causam prorsus ab eo removerent. Quid enim veriùs ac pulcriùs in hanc rem, à quoquam nostrum, qui divinæ Bonitatis ope, è spissa gentilium superstitionum caligine ad clarissimum veritatis lumen pervenimus, dici potuisset, eo, quod Magnus ille, ut cum Arnobio loquar, & piè sancteque sapiens PLATO protulit : Bonorum quidem solus DEUS causa est dicendus, ajenis, Malorum autem quamlibet aliam, præter DEUM, causam querere licet (25.) Cujus exemplum, ut in aliis, sic in

- D 3 hoc
- (19.) Epist. 83. Adde, quod Plato in Parmenide, DEUM habere supremam scientiam, asserat. (20.) Maximus Tyrius Diff. I. (21.) In Epinomide.
- (22.) Quod verbum licet alias dubitandi sim habeat, à Philosophis tamen, præsertim verò Platone ☿ Aristotele, sapius in re certissima & vel modestie, vel elegantia causa, adhiberi, docet August. Steuchus Lib. IV. c. 7. Obert. Giphanius in Comment. ad Lib. I. Nicom. c. 1. itemq. M. Ant. Muretus ad hunc loc. ☿ Joach. Camerarius in Comment. ad c. 6. hujus libri. Joh. Neldelius in Diss. de ordine Doctrina, ☿ Slevogtus Diss. Acad. th. XI.
- (23.) In Phadro ☿ Apologia Socratis. Quis ☿ in X. de Leg. DEUM sapientissimum appellat.
- (24.) In Epinomide ☿ Timao. Aristot. I. de Cælo r. 100. IX. Eth. c. 4. II. Magn. Mor. c. 15. XII. Met. c. 7. ☿ 9. (25.) Lib. II. de Republ.

hoc quoq; felicissimè imitatus JAMBlichus, in hæc cedro dignissima erumpit verba: *Dii, inquit, non nisi bonorum Autores & nullius causa mali; quin etiam Dii ipsi bonum possident per essentiam, ita quod eorum essentia est ipsissimum bonum, veluti, calor is calefacere, & lucis lucere.* (26.) Quibus haud dissimilia præclarus ille Stoicæ Sectæ Alumnus, CLEANthes apud PLUTARCHUM in medium adfert: *Nulla ratione dici potest, ait, DEUM turpitudinis ulla ex parte causam esse; sicut enim lex delinquendi, DEUS impietatis causa nullo modo consentaneè dici possit: Ita rationi convenire Deos etiam, nulla ex parte causam esse turpitudinis.* (27.)

At nec illud etiam planè à me silentio prætereundem esse existimo, quàm mirificè, præter alios, DEI *Justitiam*, illi duo, jam sæpè laudati, nunquam tamen satis laudandi, veteris Sapientiæ Antistites, PLATO & ARISTOTELES celebrant atque extollant, quamque DEUM ab omni injustitia immunem prædicent: *DEUS nusquam, & nullo modo injustus est, dicit Ille, sed quàm justissimus, totam videlicet Justitiæ complexus potestatem.* Et: *Numina nihil injustum agunt, agerent enim contra naturam propriam.* (28.) Hic verò: *Nefas esse, Deum injustitia arguere, perhibet.* (29.)

Sed de *Proprietatum* quoque *divinarum* consideratione nunc plus satis! Quin & hîc universæ considerationis de DEO (Quem nos longè rectiùs ac perfectiùs, quàm Illi, divinæ revelationis ductu cognoscentes, ob Essentiæ simplicitatem UNUM, ob Personarum pluralitatem TRINUM appellamus) secundùm *Antiquorum Philosophorum* mentem ac sententiam, meta ac terminus esto. De quâ nequidem longè plura adhuc proferre possem, nisi aurium Vestrarum, *Auditorum omnium Optimi*, patientia, prolixiori de his sermone, abuti mihi religio foret. Hinc igitur dimissa *Creatoris* considera-

(26.) *L. c. segm. 4. c. 6. Qui & bis paulò post sequentiâ subnefit: Quandoquidem de bonitate DEI quis dubitet? de qua omnes, tam Graji, quam Barbari verissima fama, ac voce, unâ consentiunt.*

(27.) *De repugn. Stoic. (28.) In Theateto. (29.) Il. Magn. Mor. cap. 8.*

tione ad rerum ab Ipso *creatarum* contemplationem me jam ulterius converto. Ac primò quidem ad cœlestes illos Spiritus, quos, voce à Græcis accepta, *Angelos* (30.) appellare conluevimus, me confero, quàm in Illorum quoque contemplatione quædam *veteris Sapientia* vestigia appareant, paucis ostensurus: quæ licet, non secus ac reliqua *veterum Philosophorum* placita, falsis sæpe nominibus, & perversis opinionibus contexta atque involuta sint, (31.) nihilo minus tamen satis luculenta de *vera Illorum*, cujus considerationem in me suscepi, *Sapientia*, signa ac testimonia nobis præbere possunt.

Enimverò, cùm quidam reperiantur, qui, si non omnibus Ethnicorum Philosophis, tamen ARISTOTELI, penitus ignotam fuisse Angelorum Existentiam sibi persuadent, (32.) in id præcipue incumbendum mihi esse arbitror, ut sicut alios illorum haud infimæ classis Philosophos; ita quoque ARISTOTELEM non planè nullam habuisse de his cognitionem, jam Vobis manifestum reddam. Ut verò à PYTHAGORA, quo *Viro*, dicente AUGUSTINO, *nihil in contemplativa virtute olim Græcia habuit clarius* (33.) hujus rei initium faciam, quid aliud, quæso, Eum per Dæmones intellexisse existimatis, cum, *Deos dæmonibus in honore præferendos esse*, docet, (34.) quàm quos Angelos vocare nos vulgò sole-

- (30.) *Quo nomine non natura, sed officium ad quod ab initio omnes Angeli simpliciter creati sunt, notatur. Hinc Augustinus: Quæris nomen hujus naturæ? Spiritus est? Quæris officium? Angelus est. In Psal. CIV.*
- (31.) *Unde Andr. Cæsalpinus in suo de Dæmonum investig. c. 3. Nobis ac cæteris omnibus Christianam fidem sequentibus, gratiæ præ cæteris DEO Opt. Max. habendæ suat, quòd divina quadam sorte datum est, ea nosse, in quibus tot Philosophi, propriis viribus nixi, veluti balbutientes hæsitant: Quæ enim hominum ingenium attingere nunquam potuisset, revelata nobis sunt in Sacra Theologia. Inde igitur, ut reliqua mylteria, sic & dæmonum naturas & differentias unusquisque addiscere potest.*
- (32.) *Quod faciunt Franc. Piccolomineus in Lib. de Rerum desin. Et Theod. Angeluuius in nova sua sententia, quòd Metaphysica sint eadem, qua Physica.*
- (33.) *Augutt. Lib. I. de Consens. Evang. c. 7. (34.) Lærtius in Ejus Vita.*

folemus. Quid aliud eodem nomine & PLATONEM & ZENONEM cum suis discipulis innuisse creditis? Quorum ille eorum naturam simul & officium egregiè his verbis describit: *Omnis natura Daemonum inter mortales Deosve est media; interpretatur ac trajicit humana ad Deos, divina ad homines; Horum quidem preces & sacrificia, illorum præcepta sacra, solennia, institutionem & ordinem; in utroq; medio constituta, totum complet, ut universum secum ipso tali vinculo connectatur.* (35.) Hi verò; quosdam esse demones, dixerunt, quibus insit hominum miseratio, inspectores humanarum rerum. (36.)

Quorsum ARISTOTELEM respexisse verbis illis judicatis? queis nonnullis animalibus (vel rectiùs, fortè, viventibus) vim inesse, progrediendi; nonnullis ratiocinandi & intelligendi, ut hominibus, & si quid aliud hujusmodi est, aut etiam honorabilius dicitur? (37.) quàm ad medias inter DEUM & homines substantias, quas angelicas vocamus? Quid aliud ipsam *Daemoniorum* voce; (38.) quid aliud per primas illas substantias, quæ sint actus sine potestate, indicasse (39.) putatis, quàm intelligentes istas ac invisibiles naturas? quas Præceptor ipsius PLATO graphicè iterum his verbis depinxit: *Quamvis hi Demones propè nos sint, nunquam tamen manifestè nobis apparent: prudentia mirabilis participes sunt: acuto quippe ingenio, tenaciq; memoria cogitationes nostras omnes cognoscunt: Honestos bonosq; homines mirificè diligunt, improbos vehementer oderunt, utpote qui doloris participes sunt.* (40.) Ecquid quæso à magno hoc Viro in hanc rem clariùs, pulchriùs

(35.) In *Convivio*, Conf. cum his qua Apulej. habet in *Lib. de Deo Socratis*.

(36.) *Laërt. in Vita.* (37.) *II. de Anima* t. 29.

(38.) *V. Met. cap. 8. de quo loco vid. Scheurl loc. cit. p. 71. II. Rhet. 23. I. Eud. 1. Quibus nonnulli addunt Verba initialia c. 2. Lib. de Divinat. per somn.*

(39.) *Lib. de Interpr. c. 13. in Organ. Julii Pacii (aliàs 15.) Qui in Comment. ad hunc loc. Primus substantias appellat, non individua, ut Careg. c. 5. sed substantias æternas, i. e. DEUM & reliquas coelestes intelligentias.*

(40.) In *Epinomide*. Adde *Ficinum in Comment. ad Illius Conviv. c. 3.*

chrius ac sublimius dici potuisset? Cujus adhuc etiam illud habemus tam præclarum de immortalitate Angelorum testimonium, quo DEUM illos his verbis alloquentem introducit: *Quapropter quia generati estis, immortales quidem & indissolubiles omnino non estis. Nec tamen unquam dissolvemini, nec mortis fatum subibitis. Nam voluntas mea majus præstantiusq; vobis est vinculum ad vitæ custodiam, quam nexus illi, quibus estis tunc, cum gignebamini, colligati.* (41.)

Neq; verò bonorum tantum, ad quos ea, quæ jam diximus, præcipue pertinent; verum etiam malorum Angelorum naturam, atque officium, neutiquam Eos latuisse, ex illo PORPHYRII manifestum evadit, dicentis: *Per contrarios tamen ac infestos demones, usus omnis in Magia ipsa perficitur. Ejusmodi enim maximè demonibus præsidem potestatem ii placant & venerantur, qui per veneficia res noxias exercent. Malè siquidem illi Demones, magnam copiam habent omne genus apparitionum atq; imaginum; possuntq; tum monstris atq; prestigiis ludificare mortales, tum philtis & amatoris potionibus, quas conficere egregiè callent. Omnem præterea divitiarum & gloriæ spem, in iis demonibus locatam ferunt; præcipue verò impostura fraudiq; artificium: mentiri enim ac fallere, ut proprium sibi vindicant, divinitatem verò sibi arroganter usurpant; præsidens autem illis potestas, videtur maximus quidam DEUS.* (42.) Ad quod Angelorum genus, quidni illum quoque Dæmonem referendum esse putemus, *Qui, ut PLATO loquitur, plurimis voluptatem admiscere solet, quâ ille tanquam illecebra quadam utitur, perniciosumq; hamum obducens, alios quidem fallit; perditq; hominem. Quidam verò valentiori animo præditi, laqueos prævident, eosq; transiliunt.* (43.)

E Plura

(41.) In *Tyraelo*. (42.) *Theodoret. serm. III. ad Græc. Infid. ubi plura hujus generis à Porphyrio adferuntur.*

(43.) In *Phædro. add. Theod. l. c. In eadem, cum laudatû Philosophi sententia fuisse complures alios, utpote: Plotinum, Jamblichum, Hermetem, Amelium, Maximum Tyrium, Epictetum, Chalcidium, Ciceronem, Proclum*

elum, qui omnes ☉ esse substantias separatas, ☉ bonis maliaq; generibus distinguere afferuerint, Scheurelius l. c. p. 70. testatur: Licet diversis omnino nominibus ab iis fuerint appellati; ac alii quidem illos Deos, alii, daemones, alii, daemonta, alii, genios, alii, intelligentias ☉. Vocaverint. De qua re vid. Steuchus Lib. integr. VIII. Ad hac etiam Tertullianus, Gentilium Philosophia non incognitam fuisse Angelorum existentiam his verbis docet: Atque adeo dicimus esse substantias quasdam spirituales, nec nomen novum est, sciunt Daemones Philosophi, Socrate ipso ad Daemonii arbitrium expectante. Quidni cum & Ipsi Daemonium adhaesitio a pueritia dicatur. Angelos quoque etiam Plato non negavit. Apolog. adv. Gentes c. 22. Aristoteli verò B. Dn. D. Joh. Gerhardus (quod is nempe per Intelligentias, quas Orbium caelestium motrices facit Lib. VIII. Phys. c. 6. ☉ XII. Met. c. 8. nil aliud intelligat, quam Angelos) egregium hoc testimonium perhibet: Nos nullam dicam scribimus Aristoteli, quod Intelligentias mentes a corpore separatas introduxerit, & ad qualemcunque illarum cognitionem ex ordinatissimo caeli motu penetrarit; quin potius dignum admiratione censemus, quod verbi lumine destitutus, per lucem naturae eò usque se extulerit, ut ruborem Saduceis incutiens, praeter visibiles & corporeas creaturas etiam invisibiles & incorporeas Intelligentias dari haud inficite collegerit, ac per hanc scalam ad primum & summum Motorem utcumque agnoscendum conscenderit. *Hu adde Ernst. Sonerum in Comment. ad c. 8. Lib. XII. Metaph. ☉ Cæsalp. loc. alleg.*

Plura in re tam aperta cumulare testimonia haud immerito superfedeo; ne fortè, ut ARISTOTELIS quondam dixisse fertur, (44.) Solem adhibita lucerna ostendere velle Dobis videar: Ac potius à summi rerum omnium Opificis, & caelestium ejus Ministrorum consideratione, ad admirandi Ipsius Opificii contemplationem jam nunc progredior. De cujus quidem pulcherrimæ juxta ac artificiosissimæ machinae, rerumq; quas ambitu suo complectitur, & in amplissimo suo sinu fovet, Origine, licet in diversas olim partes abeuntes Philosophi, magna animi inter se contentione decertaverint; aliis unum tantum, aliis plura eorum principia constituentibus; (45.) nemo tamen Illorum, quantum scio, adeo mentis & consilii inops fuisse repertus est, qui alium, praeter unicum DEUM, rerum Conditorem, & orbis Architectum introduxisset; Quin imò verò, una quasi voce omnes,

(44.) Stobæus *serm. IV.* (45.) *Vid. Piccolomineus de Philos. placit. in assistent. ad interna Generat. rerum nat. principia.*

omnes, divinæ Mentis Sapientiâ, elegantissimam hanc mundi fabricam productam esse, confessi sunt. THALES certè, ille Sapientum antiquissimus, etsi omnia ex aqua orta fuisse contendebat, (46.) *Mentem* tamen, (qua voce DEUM complectebatur) *cuncta ex ea formasse*, dixit; quin & interrogatus, quid esset pulcherrimum? *Mundus*, respondit: *Est enim opus DEI*. (47.) PYTHAGORAS, qui primus Philosophi nomen usurpavit, (48.) plurimum in Philosophando numeris quorum vim in natura maximam esse (49.) statuebat, tribuens; per *Monada* DEUM, rerum omnium Autorem, intelligebat. (50.) ANAXAGORAS item, quamvis è similibus inter se particularum commixtione & compositione res omnes originem suam traxisse erat persuasus; tamen opus fuisse, ut (51.) à divina Mente particulæ illæ apertè componerentur, simul arbitrabatur. (52.) XENOPHANES quoque, hoc paulò antiquior, rerum principium unum esse, neque id esse mutabile, & id esse DEUM neque natum unquam, & sempiternum tradens, hujus rei veritatem satis clarè indicavit. (53.) *Nec diversum*, ab his, senserunt Illi, qui à Stoa nomen acceperunt, Magistrum suum Zenonem secuti, duo rerum principia statuentes, *agens & patiens*, hoc quidem *materiam*, illud *Deum* esse; *ac sempiternum, unigenitum & incorruptibilem Deum singula creare, tantiq; operis* (mundi scil.) *& ornamentiq; Opificem esse*, disertè fatentes. (54.) Sed & PLATO, quem sæpissimè hæcenus loquentem audivimus, DEUM *Materiæ*, quam mundi principium vocat, adjun-

E 2

gens,

- (46.) Cic. IV. Acad. Quæst. §. 118. Plut. I. de Plac. Philos. c. 3.
- (47.) Idem Lib. I. de N. D. §. 25. Laert. in Vita
- (48.) Laert. in Proœmio, & Vita Ipsi. Cic. V. Tusc. Quæst. §. 8.
- (49.) I. Tusc. Quæst. §. 19.
- (50.) Lipsius in Physiol. Stoic. Lib. I. Diff. 4. ubi plura hæc de re leguntur.
- (51.) Cic. IV. Acad. Quæst. 118. (52.) Ibid.
- (53.) Laert. in Vita Zenonis; & Seneca ep. LXV. Univerſa ex DEO & materiâ, constant, inquit.
- (54.) Laërtius in Vita.

gens, se rerum omnium Creatorem Ipsum agnoscere his admodum perspicuis verbis significavit: *Animalia cuncta mortalia, plantasq, quaecunq, è terra ex seminibus radicibusq, nascuntur, & quaecunq, inanimata in terra consistunt, sive liquefierè possint, sive non possint; numquid alio quodam opifice fabricata, quàm DEO, facta esse, cum prius non fuissent, dicimus? (55.)* Quorum omnium denique sententiam, his paucis quidem, sed admodum significantibus verbis ARISTOTELES comprehendisse videtur: *Vetus sermo est, inquit, & à Majoribus proditus inter omnes homines, universa tum ex DEO, tum per DEUM constituta fuisse atq, coagmentata. DEUMq, rerum omnium Autorem deinceps appellans, nec non illos EMPEDOCCLIS versus præterea in suæ sententiæ confirmationem adducens:*

*Omnia quotquot erunt, quot sunt præsentia, quotq,  
Orta fuere antehac, stirpes, hominesq, seraq,  
Inde etiam volucres, piscesq, humoris alumni,  
Longævig, DII. (56.)* -- -- -- **Ec-**

(55.) *In Sophista. Et ibid. paulò post: Quæ natura gignuntur, arte divina fiunt, inquit. Itemq; Nos utiq; & animalia cætera, eave ex quibus ista gignuntur, ignis & aqua, horumque germana, à Deo omnia procreata scimus, singula illa effecta atque opera. Cui subscribens Plutarchus: Præstat igitur, ait, Platonis sententiam sequi, atque hoc etiam dicere & canere, Mundum à DEO factum esse: nam & Mundus omnium operum est pulcherrimum; & DEUS omnium causa præstantissima. L. de Anim. procreat. His add. quod Lib. 1. de Plac. Philos. cap. 6. DEI (Creatoris) notionem suggestit primùm conspecta eorum, quæ in mundo sunt, pulchritudo; nihil enim temerè & fortuito nascitur, sed ab arte aliqua efficitur, scribit; & L. de Fato: Eundem Patrem & Opificem omnium appellat.*

(56.) *Conf. cum his qua 1. de Cælo r. 100. leguntur: Ab immortali illo & divino, aliis pendet; his quidem exactiùs, his autem obscuriùs, esse & vivere. Et XII. Met. r. 39. ubi, à tali principio (quod æternum ac substantia & actus est. ibid. r. 35. movens primo sempiterno & uno modo r. 43.) tum cælum, tum natura dependent, ab eo dicitur. Quibus jung. ea, qua haud indoctè præterea de hoc negotio tradiderunt Plur. Reç. Dn. M. Paul. Weberus, Fautor meus admodum colendus, in disp. de trina DEI circa inferiora causalitate A. 1647. Jena; & Dn. M. Heinr. Rixnerus in Disp. de Quæst. An Aristoteles cognoverit creationem? 1658. Helmst. habita.*



Equantum, quæso, in his *Antiquorum Philosophorum* dictis, Sapientiae latet, quamq; evidentissimè DEUM res omnes, quas Mundus complectitur, condidisse, ex iis perspicitur?

Neque verò ab omnipotenti DEI virtute immensam hanc rerum Universitatem solùm esse creatam, sed ab Ipsius quoque infinità potestate eandem perpetuò regi, & gubernari, rebusque in ea contentis, perquam benignè ac providè à divina Bonitate prospici, mira insuper mentis sagacitate, ingeniiq; solertia Illi pervestigârunt. Etsi autem non omnes una eademque via inceserint, sed quidam eorum (vel quod DEO indignum esse, rerum quarumlibet, etiam abjectissimarum & vilissimarum, curam existimarent; vel quod malis sæpe in hac vita benè, bonis verò malè rem evenire cernerent) ab aureo veritatis tramite, cum Duce & Antesignano suo EPICURO, in periculosa errorum devia deflexerint: Sufficit tamen, quod longè majorem, rectè, quàm perversè sentientium messem metere nobis liceat. Possùm enim EPICURO DEUM, *otiosum, nec ullam rerum à se creatarum curam gerentem* (57.) fingenti, magna illa *veteris Philosophia* Nomina PYTHAGORAM (58.) & SOCRATEM, (59.) quorum uterque expressis verbis contrarium indicat, opponere. Possùm LUCRETIO (60.) & PLINIO, (61.) aliisve, di-

E 3

vina

- (57.) Laërt. & Anonymus in *ejus Vita*. Et apud Cic. *Lib. I. De N. D. §. 45.* Vellejus, *Epicuri partes defendens*, verè exposita est illa sententia ab Epicuro, *inquit*, Quod æternum beatumque sit, id nec habere ipsum negotii quidquam, nec exhibere alteri; Itaque neque ira, neque gratia teneri, quod quæ talia essent, imbecilla essent omnia. *Qui & in præced. §. 18. providentiam animum fatidicam Stoicorum appellat, & §. 51. DEUM nihil agere dicit.*
- (58.) *Quem*, DEUM nostri providentiam gerere affirmasse, Laërt. in *ejus Vita* refertur.
- (59.) *Is* apud Platonem in *Phædone*, *Deos non solùm optimos rerum gubernatores appellat, sed etiam*, id mihi rectè dici videtur, Deos curam habere nostri; nos verò homines esse aliquam ex possessionibus Deorum, *inquit.*
- (60.) *Quod ex illius Lib. III. de Rer. nat. inter alia satis apparet.*
- (61.) *Qui*, irridendum verò, agere curam rerum humanarum illud quicquid est summum. Anne tam tristi atque multiplici ministerio non pollui credamus dubi-

dubitemusque? *asserere non dabit a dit. Lib. II. N. H. c. 7. Cum quibus & Horatium illum suaſſimum aliàs Romanæ Fidicinem Lyra aliquando deliraffe ex ſequentibus ejus ſerbu conſtat: Lib. I. Serm. Sat. V.*

credat Judæus apella,  
Non ego: Namque Deos didici ſecurum agere ævum:  
Nec, ſi quid miri faciat natura, Deos id  
Tristes ex alto cœli demittere tectis.

*Quam tamen inſipientem ſapientiam deinceps eum depoſuiſſe, ex isto, quod Lib. I. Ode XXXIV. canit, apparet:*

Parcus Deorum cultor, & infrequens,  
Infantis dum ſapientiæ  
Conſultus erro, nunc retroſum  
Vela dare, atque iterare curſus  
Cogor relictos. *Ege.*

vina providentia mundum regi, cum his negantibus, celeberrimorum Virorum, PLATONIS, ARISTOTELIS, CICERONIS, PLUTARCHI, totiusque Stoicorum Sectæ, quorum non tantum innumera dicta ac testimonia, sed & integra ferè volumina hac de re extant, Autoritatem obvertere.

Ut verò ipsis, tantorum Virorum verbis, Vobis, ceu ſpero, auditu nec ingratum, nec injucundum, rem hanc, ſicut hæcenus conſuevi, illuſtiorẽ reddam: Audiamus primò ex ore PLATONIS, veram de divina Providentia, (quo nomine diligentem & circumſpectam Omnipotentis DEI, circa rerum omnium ac ſingularum, in Mundo conſervationem & gubernationem, curam, vulgò denotare ſolemus) ſententiam, Qui: *Deos cum providentiſſimi atq; optimi ſint, & providentiam omnium ſibi propriam vendicent, minimarum non minus, quàm maximarum curam habere, innuit; hiſq; deinceps ſapientiſſimum hoc monitum ſubjicit: Caveamus autem ne DEUM mortalibus opificibus viliorẽ putemus. Iſtè ſanè, quãtò peritiores ſunt, tantò arte una in propriis ipſorum operibus, & parva ſimul, & magna exquisitiùs abſolutiùſq; perficiunt: DEUS verò, qui ſapientiſſimus eſt, & curare poteſt, ac vult: magnùs quidem providebit ſolùm; parva autem, quæ faciliùs gubernari poſſunt, propter pigritiam & ignaviam negliget?* Adhæc graviffimè in Providentiam divinam negantes  
in-

invehitur: *Faciunt aut dicunt impium quid in DEOS, ajens, qui res humanas curari ab ipsis minime arbitrantur.* (62.) Audiamus porrò ipsum etiam ARISTOTELEM, Providentiam divinam non tantum ad res cœlestes (uti nonnullis placet) (63.) restringentem, sed potiùs ad res omnes applicantem, cum nullam naturam sufficientem ad sui conservationem esse posse, si DEI conservatione destituatur, affirmat: (64.) Imò verò ad singulas quoq; hominum aetiones illam his verbis accommodantem: *Nam si aliquam humanarum rerum curam Diis habent, sicut videtur: consentaneum est, ipsos re illa, qua optima est, atq; ipsis maximè cognata, delectari, qui est intellectus: eosq; qui ea maximè amant, & honorant, remunerari; utpote, quò eorum, qua ipsis sunt amica, curam habeant, rectèq; & honestè agant.* (65.) Consulamus Stoicos; quorum Princeps ZENO DEUM providentiâ sua Mundum, & qua sunt in mundo omnia, administrare dixit: (66.) Cujusque Auditor, & in schola successor, CLEANTHES, in suis, qui apud CLEMENTEM ALEXANDRINUM extant (67.) planè aureis, imò de DEO divinis versibus, sicut eos LIPSIUS vocat (68.) DEUM, Bonum, quod omnium curam gerit, nominat, ut SENECAM, quem integrum de Providentiâ librum scripsisse satis notum est, aliosq; silentio præteream. (69.) Consulamus denique CICERONEM, quo

nemo

- (62.) *Lib. X. de Legibus.* (63.) *Theodoret. serm. V. & VI. ad Grec. infid. Ambrosius Lib. I. de Off. c. 6. Chalcidius in Tim. Plat. Vid. Vossius Lib. II. de Orig. & Progr. Idol. c. 45.*  
 (64.) *Lib. de Mundo c. 6. in quo plura hujus generis leguntur, cum quibus conferri possunt, qua Apulejus in Lib. de Mundo hujusmodi habet. Ref. huc & II. de Gen. & Corr. t. 59. ubi per continuam generationem, nil aliud, quàm conservationem rerum, Philosophus intelligit.*  
 (65.) *X. Nicom. c. 9.* (66.) *Laert. in Vita.*  
 (67.) *Lib. V. Stromat.* (68.) *Physiol. Stoic. Lib. I. Diff. 10.*  
 (69.) *Sic autem Seneca Lib. II. c. 45. N. Q. de DEO: Vis illum providentiam dicere? rectè dices. Est enim cujus consilio huic mundo providetur, ut inconlulus eat, & actus suos explicet. Vid. quoq; Arrianus in Comm. de Epict. Dissp. Lib. I. c. 16. & III. 17. nec non Simplicius in Comment. ad c. 38. Epict. De Stoicis in genere, quoad hanc rem Lipsius sic loquitur: Illud quidem elogium serio Stoicorum genti do, non aliam Sectam majestatem suam & pro-*

providentiam DEO magis adseruisse: Non aliam, homines ad ætherea illa, & æterna, traxisse magis. *Lib. I. de Constant. c. 18.*

nemo sanè clariùs ac meliùs hâc de re loqui potuisset, *Dico igitur*, inquit VIR omnium disertissimus, *providentia DEI mundum & omnes partes, & initio constitutas esse, & omni tempore administrari*, hisque postea sequentia subjungit. *Nec verò universo generi hominum solùm, sed & singulis à Diis immortalibus consuli & provideri solet.* (70.)

Possẽm adhuc innumera alia *Veterum Philosophorum* egregia ac sapientissima, de generali hujus Universi constitutione, placita referre, nã ad illius partium contemplationem mihi nunc properandum esset. Antequam tamen hinc prorsus discedam, illud præterea tribus, ut ajunt, verbis annectere placet, plurimos illorum hunc Mundum aliquando igne perituum rectissimè persuasos fuisse. Provoco, præter alios, quos brevitatis studio filere cogor, ad illum, severioris (71.) disciplinæ Virum, HERACLITUM, qui *universum ævum, post certos annorum circuitus atq; decursus conflagraturum*, jam suo tempore pronuntiavit. (72.) Provoco ad Universæ Stoicorum Cohortis hac in re consensum. (73.) Provoco ad elegantissimam illa strenui Illorum doctrinæ Propagatoris SENECEÆ verba: *Quid enim mutationis periculo exceptum, quærentis? non terra, non cælum,*

(70.) *II. De N. D. §. 75. & 164. Hic adde, quod Lib. I. de N. D. §. 3. extat: Sunt enim Philosophi, & fuerunt, qui omnino nullam habere censerent humanarum rerum procuracionem Deos. Quorum si vera est sententia, quæ potest esse pietas? quæ sanctitas? quæ religio? Et Lib. II. de Leg. §. 25. Sit igitur hoc jam à principio persuasum civibus, inquit, Dominos esse omnium rerum ac moderatores Deos, eaque, quæ gerantur, eorum geri judicio, ac numine, eosdemque optimè de hominum genere mereri, & qualis quisque sit, quid ægat, quid in se admittat, quâ mente, quâ pietate religiones colat, intueri, piorumq; & impiorum habere rationem. Conf. §. supra alleg. 19. Orat. De Harust. resp. & quæ in somnio Scipionis de hac re leguntur Inq; Consol. ubi omnia nos Diis immortalibus accepta referre debemus, ait, quorum ope vivimus, intelligimus, agimusq; p. 600.*

(71.) *Vid. Steuchus Lib. X. c. 49. (72.) Apud Illultrium de Philosophiâ p. 35.*

(73.) *Cic. IV. A. Q. §. 119. Lært. in Vita Zenonis. Plutarch. advers. Stoicos.*

lem, non totus hic rerum omnium contextus, quamvis DEO agente ducatur; non semper tenebit hunc ordinem: sed illum ex hoc cursu aliquis dies dejiciet. Certis eunt cuncta temporibus: nasci debent, crescere, extingui. Quaecumq; vides supra nos currere, & hac, quibus innixi atq; impositi sumus veluti solidissimis, carpentur accedissent. (74.)

O Viros egregios! dignosq; Quorum vigeant in omnium ore ac mente, dum mundus viget, tam præclaræ de Mundo sententiæ! Commodemus his porro aures, & ad brevissimam partium Illius contemplationem cum iisdem nunc accedamus: Quarum alteram, tot tantisq; sideribus, veluti gemmis decoram, & conspicuam, Cælum: alteram variorum Animalium, quorum caput ac princeps Homo est, nec non Arborum, Herbarum, Montium, Aquarum, aliarumq; pulcherrimarum atque utilissimarum rerum copia abundantem, Terram appellarunt. (75.) De utraque infinita ferme Præscorum Philosophorum Sapientiæ documenta extant, quorum tamen paucissima nobis jam ob temporis brevitatem vix attingere licet. Agite verò, ut è cœli primùm, tanquam præstantissimæ Mundi partis, & præcipui Ejus ornamenti, contemplatione Eorum Sapientiam non nihil cognoscatis, à THALETE, sæpius à me in hanc scenam producto, hujus rei exemplum capite, quem nobis APULEIUS his verbis commendat: *Thales Milesius ex septem illis sapientiæ memoratis viris facile præcipuus: Fuit enim geometricæ penes Grajos primus repertor, & naturæ rerum certissimus explorator, & astrorum peritissimus contemplator, maximas res parvis lineis reperit: temporum ambitus, ventorum flatus, stellarum meatus, tonitruum sonora miracula, siderum obliqua curricula, So-*

F  
lis

(74.) *Epist. XXI. Conf. cum his, quæ in Consol. ad Polyb. c. 20. & Lib. III. N. 2. c. 28. 29. apud eundem his planè similia habentur.*

(75.) *Est enim Mundus, Compages è Cælo Terraq; coagmentata, atque ex iis naturis, quæ intra ea continentur; sicut non tantùm Aristoteles, sed & cum ipso Zeno apud Laërtium in Vita, & Apulejus in Lib. de Mundo restantur.*

lis annua reverticula: idem Luna, vel nascentis incrementa, vel senescentis dispendia, vel delinquentis obstacula. Idem sanè jam proclivi senectute divinam rationem de Sole commentus est, quam equidem non didici modò, verùm etiam experiundo comprobavi: quotiens Sol magnitudine sua circum, quem permeat, metiatur. (76.) His accedunt, quæ LAERTIUS in perpetuam inclyti Ipsi Nominis laudem, & gloriam, quondam de Eo literis prodidit; quòd nempe *Ursa Minoris*, cuius sideris adspèctum, eos, qui, ut Poëta canit, velivoli fulcant æquora Ponti, haud parum juvare novimus, inventor extitit, ac primus *Astrologiæ secreta* (apud Græcos) rimatus fuerit, solisq; defectus, conversionesq; prædixerit, (77.) quam ob causam Heraclitus & Democritus ipsum admirati sint, ejusque singularem sapientiam *Timon* hoc versu celebraverit:

*Qualis erat Sophiæq; Thales; cæliq; peritus.* (78.)

Hujus sapientissimi Viri præclara veltigia, qui post Ipsi tempora vixerunt Philosophi, magno numero sunt secuti; à quorum, in perferutanda cœli siderumque natura, laudabili studio atque indefesso labore, haud parum sanè utilitatis ad nos redundavit. Hi quippe sunt, quibus nostram, de admirabili ac vastissimo Cœli opere, scientiam debemus: (79.) Hi sunt, quibus eam, quæ de magnorum ac splendidissimorum Ejus Luminum, Solis ac Lunæ, cæterarumq; tum errantium, ut vocantur, tum fixarum stellarum Natura ac proprie-

(76.) In *Florid.* (77.) Sed & Plinius, Eum omnium primum illam Eclipsin, quæ tempore Halyattis Lydorum Regis Olymp. XLIX. accidit, prædixisse, Lib. II. H. N. restatur.

(78.) Laërt. in *Vita*, ubi nonnulla insuper hujus generis alia leguntur.

(79.) Extant namq; præter alia, quæ hinc inde in *Vet. Philosophorum monumentis* de hac re leguntur, Aristotelis de Cælo libri, in quibus ea, quæ ad cognoscendam cœli naturam & proprietates spectant, ubèrius exponuntur. Vid. Zeiföldus *Inst. Phys.* Lib. II. punct. 1. Quamvis quod fieri simul necesse est, ille nonnunquam in his à vero aberraverit, & nubem pro Junone amplexus fuerit, præsertim quando Cælum animarum esse Lib. II. t. 13. ex præsupposita falsâ suâ, de Intelligentis cælum moventibus, hypothese, quam IIX. *Phys.* c. 6. & II; *Met.* c. 8. pertrahat, statuit.

prietatibus, cognitionem habemus, acceptam referre tenemur: (80.) Hi sunt, à quorum subactò & subtilissimo ingenio multa egregia atque utilissima ad nos pervenisse, in hoc studio, inventa novimus. (81.) Ac licet quidem recentioris ævi Philosophorum solertem ac perspicacem, in indagandis rerum cœlestium naturis, industriam, multa iis ignota, in lucem protulisse haud diffitear, quum tamen aliorum inventis aliquid addere, quàm ea primùm invenire, longè facilius sit, (82.) quidnì ex hoc quoque summam *Veterum Philosophorum* sapientiam nobis æquè atq; ex aliis æstimare liceat?

His verò nunc satis quoque pro instituti mei ratione expositis, reliquum esset, ut à cœlestibus ad terrestria me conferrem, & quam in illorum quoque contemplatione *Antiquorum Philosophorum* sapientia se nobis conspicuam reddiderit, ostenderem: sed cum jam longius, quàm ab initio constitueram, in dicendo progressus fuerim, illudq; ex iis, quæ vel solus *Aristoteles* de his literis consignavit, satis constet, ne prolixiori fortè sermone vobis molestus sim, vela orationis meæ contraham, & in portum me recipiam. Quem antequam prorsus attingam, liceat mihi Vos adhuc, ò fulgentissima interioris ac reconditæ Sapientiæ Lumina! ò splendidissima eruditi Orbis Sidera, quorum Sapientiam hætenus pro virium ratione deprædicavi, compellare, vestrumq; in rimandis ac perscrutandis rerum divinarum pariter ac humanarum secretis laborem, accuratam industriam, & perti-

nax

(80.) *Vid. Cicero Lib. II. de N. D. §. 102. seqq. Plinius in Lib. II. N. H. aliquot capp. & Laërt. passim in Eorum vitis.*

(81.) *De quibus videatur præter Laërt. Vossius de discipl. Mathem.*

(82.) *Secundum illud Aristotelis: Eorum, quæveniuntur omnium, quæ quidem ab aliis sumta sunt prius, elaborata paulatim incrementum sumunt ab illis, qui postmodum accipiunt: quæ autem ab initio cõperiuntur, parvum imprimis sumere solent incrementum, attamen utilius multo, eo, (quod ab aliis fit) accremento: maximum enim fortasse principium omnium, ut dicitur, quare & difficillimum: quanto enim potestate validissimum, tanta mole minimum, difficillimum est videri: eo autem comperto facilis est adjicere, cooperareq; reliquum.*

max studium grata mente agnoscere: Vestra namque ope ab errore ad veritatem, ab ignorantia ad eruditionem, e tenebris ad lucem pervenimus: vestro beneficio, eam, quam intellectus noster de DEO percipere potest notitiam, hausimus: vestro studio, illam, quam de Mundo, & rebus quæ ab Ipso continentur habemus scientiam, accepimus: vestræ doctrinæ ac sapientiæ, quæ de cœli & stellarum natura & proprietatibus cognoscimus, debemus. Vivat proinde laudabilis, ut hæctenus, sic in perpetuum meritorum vestrorum memoria: Vigeat in æternum inclita Vestra fama; Duret in omnia secula vestra laus, honor & gloria. D I X I.

\*\*\*\*\*

**E**T sapere & fari conspirant fœdere pulchro:  
Is scilicet felicitatis est apex.

At Sophiam antiquam nostras revocare sub oras,  
Sapientia estne major an felicitas?  
Rectæ insiste viæ venerandi ope Patris aperta:  
Sapientia & Felicitas Tibi patet.

Et bonus & doctus multo cluit ore Virorum  
SAUERUS Ille Clerici Ordinis Decus.

Principio hoc jactò reputa porrò, Optime Fili,  
Quæ sustinenda sit Tibi expectatio.

*Adm. Reç. C. Religiosissimi Dn. Parentis, Filium ad  
laudatæ Vestigiæ paternæ bono hoc omine excitat*

M. JOH. CONR. DÜRRIUS, SS. Theol.  
& Philos. Mor. Prof. Publ.

**U**Nde sapis, SAUERE, madet Tibi pectus acetò:  
Ore tamen dulci dulcia verba jasis.

Nec mirum. Sic est salum mare, solis abenum:  
Dulcia sunt falsò flumina nata mari.

Cætera si spectò, cum pectore convenit ori.  
Et Tibi propterea dulcia quæq; precor.

In gratiam  
Eximii atque Eruditissimi  
DN. Oratoris,  
Amici & Convictoris carissimi,  
scribeb.

Joh. Gabriel Majer, Helv.







Aa 884

ULB Halle

3


001 537 369




Sb.

VD17







A  
 OSOPHORUM  
 TIA,  
 M CIRCULARI  
 )  
 tii,  
 LXXIII.  
 ICIS

PHILO SAUERO;  
 ⚙️  
 /  
 Univ. Typogr.

11

